
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 G
120

LAVRENTII DVCII VICTORINI DE INVENTIONE MEDII LIBER VNVS.

AD COSMVM MEDICEM FOELICISSIMVM FLORENTIAE DVCEM.






LVCAE APVD VINCENTIVM BVSDRAGVM.
M.D L.






COSMO MED. ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO FLORENTIAE Duci Laurentius Ducius. S. P. D.



VPERIORI anno COS. MED. Magnanime, ac omnium uirtutum genere florentissime Florentiæ Dux, cum ocio abũdarem, quantum in Dialectica facultate pro priis uiribus ductus progredi possem, experiri placuit: idque non in tota arte (sic enim tentandi modum præteriissem) sed in maxime necessaria ipsius parte: qua de inuentione medii pro ratiocinatione conficienda disseritur. Eam uero, honestissimis, ut in publicum prodiret rogantibus amicis, sub tuo celeberrimo nomine in lucem profero: non quia te tanto principe digna esse nobis censeatur, cui non modo patria uitam, & (ut uno uerbo dicam) quidquid boni habet, acceptum refert; sed prudentissimi Reges commodissima, & honestissima proprii Regni administrandi præcepta accepisse fatentur, uerum ut sit sempiternũ meæ erga te integerrimæ seruitutis testimonium: fieri nanque potuit (id enim nũquam negaui) ut propter maximas tuas uirtutes, ac ornamenta, quibus nobilissimam tuam familiam, patriã, & totum denique orbẽ terrarum ornasti, uires ad opera seruitutis præstanda mihi, homini uel secundum propriam sententiam infra mediocres collocando defecerint, animus tamen nũquam defuit, neq; deest, neq; dee

rit;quod si hoc nõ est satis,uiri probi(quidquid maleuo
li suis calũniis moliant̃)potius te amplissima laude, ac
uera gloria,quã optimo iure mereris prosequẽtur ; quã
me aliqua cõtumelia afficiant:quippe qui si quo pacto
deceptus sum,id non lucri , non honoris , non denique
alicuius propriæ utilitatis causa adductus feci ; sed
potius nimio seruiendi desiderio,ad quod te respi
cere cupio,atque spero:& si rogare non audeo.

Vale. Datum Lucæ. Klendis
Ianuariis. MD L.



PRAEFATIO AD LECTORES.



NTE quam agere de inuentione medii pro ratiocinatione conficienda incipiamus, illud monendum censemus, eos, qui hæc intelligere, & ipsis recte atque commode uti cupiunt, oportere singulorum primo terminorum, deinde etiam inter se iunctorum, uim, atq; usum didicisse, cum autem ex his ueluti domus quædã ex lapidibus ac lateribus ratiocinatio compõatur, eius quoq; conficiendæ rationem probe calleant iuuenes; ingrata enim alioquin, & indemonstrata fere omnia uidebuntur, nam iis, qui logicæ facultatis sunt prorsus expertes, iuuamentum (si quod possumus) in præsentia afferre non decreuimus, sed potius ea, quæ diximus recte callẽtibus, quasi ædificatoribus quibusdam, propriam reperiendi, seu agnoscẽdi materiam, atq; ea recte utẽdi, methodum tradere conabimur, sine ipsa enim particularium medico remediorum ignaro persimilis esset; ut enim ille nullam ægritudinem remouere posset, ita hic noster ratiocinatione nihil unquam colligeret. Hac autem facultate non solum in humanarum, ac diuinarum rerum cognitione uti poterimus sed in pace fruenda, in bello gerẽdo, in omni deniq; re publica, aut domestica administranda, rursus in sanitatis conseruatione, morbiq; profligatione, & tãdem simpliciter in omnibus, ut plurimum eius absentia lædimur, ita recto ipsius usu maxime iuuamur. Indicio autem sit & a scientibus, & ignorantibus in unaquaque re rationẽ, causamq; inter

rogari cur aliquid dictum, factum ue sit, quæ nisi redda tur deridere solemus, qui dixerint, fecerintue. Eam autẽ intellectam, aut cóprobamus tanquam recte medium inuenerint, aut damnamus meliorem nos habere putã tes, aliosq; tanquam deterioribus rationibus utentes in crepamus, quod certe, nisi ab hac omnia proficiscerẽtur, nobis natura ipsa duce nõ fieret. Siquis uero artem hãc nostram neglexerit, propterea quod nullo præcipiente doctore natura nobis ratiocinandi facultas inest, is ual de iudicio meo decipitur, nam ut in musica, re militari agricultura, & reliquis omnibus artibus, quæ quoquo modo nobis insunt, certis præceptis naturam excitare, ipsiusq; uim roborare, ac augere possumus, ita etiam in hac euenire censendum est. Quod quidem tanto diligẽ tius fieri debet, quãto hæc alijs nobilior atq; utilior exi stit, hac enim potissimum cæteris præstamus animanti bus, huius imperio cæteræ omnes artes gubernantur, & tanto perfectiores, ac utiliores censentur quanto diligẽ tius rationis præcepta seruare uidentur. Quo fit ut mi rum non sit, si reliquas omnes animi, & corporis uirtu tes facile in alijs maiores, & perfectiores æquo animo fe ramus, ut medendi, currendi, liberaliter agendi, & cæte ra generis eiusdem, hanc uero ratiocinandi, mediumq; inueniendi rationem omnes simpliciter melius habere existimemus. Cócederet enim quispiam facile Aristote li quod melius in philosophia media inuenerit, propte rea quod maiori tempore operam dederit, quod præcep tore Platone usus uiginti annos cótinuos fuerit, quod maiori ocio, labore, diligentia huic rei operam nauarit,

a

simpliciter tamen,hoc est cæteris paribus,neq; in philo sophandi genere,neq; in aliqua alia re quisquam ei medii inueniendi facultatem parem,nedum potiorem tribueret.Huius autem signum quemlibet dicere quod si ea,quæ ipse sciret perfectiori modo scriberet,aut deniq; aliquid,nescio quid melius se facturum assereret,hinc est quod omnes dicunt,si essem Imperator,si Pontifex, cætera nostis. Deniq; hanc facultatem adeo mordicus retinemus,ut pro ea contra Deum opt. max.insurgere non uereamur asserentes,quod si eam cōdendi orbis potentiam haberemus,longe perfectiorem,atq; nobiliorē efficeremus,hoc autem nihil aliud est,quā fateri secūdū ꝓpriā naturā melius posse in unaquaq; re cognoscēda, agēda,uel facienda,medium inuenire.Hanc autem perfectionē optimo iure,&necessario nobis assumimus,nā ut lapis lapidi nō cederet in eo quod est deorsum ferri, cum ea sit ipsius natura,neq; planta plātæ in uegetādo, neq; canis cani in uenādo,neq; equus equuo in currendo,ita homo homini,aut omnino alicui alteri ratiocinā ti nullo pacto de inuentione medii cedere potest.Cum igitʳ hac nobilissima,ac utilissima facultate in ocio & in negocio semper utendum sit,non pigebit licet plurimi, maximiq; uiri in hoc præcipue laborarint,aliquid proprii(quātulumcumq; id fuerit)laboris ueritatis studiosorum gratia in medium afferre.

Quod agere de ratiocinationis materia necessarium sit. Cap. Pri.

INter artifices,qui materia utuntur,seu tanquam instrumento ad aliquod opus efficiendum, seu tanquā

subiecto,ut in eo formã aliquã introducãt,nõnulli,qui eã paruo negocio sibi cõparare possunt,nullã ipsius curã habẽt,ut cãtores,tibicines & alii eiusdẽ generis,cum aerẽ presto habeãt, quo ad uocẽ sonumue edẽdũ utuntur,nõ quærunt qua arte reperiri debeat,sed potius quo pacto ipsum numeris sonoris aptare possint, Alii uero sui operis materiã ultro se offerentẽ nõ habẽt,sed alius inferioris generis artifex eã cõficit,ut ars militaris equo & armis indiget,quæ nõ ex se adinuenit, sed ab aliis ad usũ accõmodata recipit, sic ædificatoria calce & lignis ab alio ꝯfectis utitur: quidã uero cũ neq; a natura,neq; ab alio artifice materiã præparatã recipiãt,coguntur eã ex seipsis cõparare,ut coqui,& medici cõdimẽta, & antidota ex diuersis rebus cõficiunt,quibus,aut ad uoluptatem,aut ad sanitatem afferendam utuntur. In hoc ultimo genere iudicio meo reperitur ratiocinator; nam quod in primo non contineatur, facile cõcedent,qui in probãdi arte aliquãtulum se exercuere,adeo enim difficile in multis est medium inuenire,exẽpli gratia,quod anima sit mortalis,aut ĩmortalis, ut hoc potius difficillimum esse putãdum sit,quam adeo facile, ut omnibus natura semper materiã suppeditet: quod si quis hoc pertinacius sustinere uelit,is inter sciẽtes,& ignorãtes nullum discrimẽ ponit, eo.n.differunt docti ab ignaris q̃ rerũ cãs reddere possunt,illi uero nõ possunt;hoc autẽ nihil aliud est q̃ inueniendi medii facultatem habere & non habere.In secundo uero, an in tertio artificum genere quis collocet,parũ nostra refert, quippe qui de ea agere quomodocunq; statuerimus,nobis tamen placet,

ut in tertio ordine locetur, in quo & oratores, & poetas esse conspicimus, nullus enim alius artifex præter oratorem de argumentis suasoriis agit, neq; de iis, quæ proprio modo delectare possunt præter poetam, nemo igitur aget de materia ratiocinatiōis præter ratiocinatorē. Quicunq; uero propriam materiam inuenire, aut ipsa abundare desiderant, præ omnibus eam exacte cognoscendi facultate præditi esse deberēt, ne utilem propter ignorantiam abiicere, aut inutilem ob eandem ipsis causam præeligere sæpe cōtingat: nā alioquin similes sunt iis, qui seruum fugientem sequuntur, quem tamen si forte inuenirent non agnoscerent, aut iis, qui dum probum medicum, uel optimum Imperatorem quæritant, ob imperitiā agnoscere nequeuntes coguntur casu ipsius electionem facere, quo fit, ut mirum non sit, si sæpe sæpius decipiantur. In proprio igitur negocio, ne temere procedamus, cognoscendæ materiæ ad ratiocinationē conficiendā aptæ principia supponētes, dicamus in singulis oportere rōcinationibus binas propositiones adesse, totidēq; terminos ad has ꝯficiēdas requiri, horūq; tres ad ratiocinādum sufficere, propterea quod ex ipsis unus, quod medium uocāt ābas ingrediēs propositiones, utriq; iungitur extremitati. Est autē propositio duorꝫ secundum antecedēdi, & cōsequēdi rationē terminorum iunctura, seu id, quod ex ipsorum connexione resultat, in præsētia enim nihil refert. terminus uero est quicquid est aptum subiici, & prædicari, seu quod idem est antecedere, & consequi, prædicantur autem, quæ de alio affirmatiue, aut negatiue concipiuntur, subiiciuntur ue-

ro, quæ aliis, ut de ipsis cõcipiantur sternuntur. Iunctu ta autem de qua in præsentia sermo est, fit copula ipsius esse, simpliciter, hoc est sine negatione, affirmatiua, addita uero negatione negatiua euadit propositio, exempli gratia sint termini iungendi homo, & animal, si, est, simpliciter apponatur, propositio hunc in modum fiet, homo est animal, quæ absq; ullo dubio affirmatiua erit, si uero negatio addatur ut, homo nõ est animal, negatiua reddetur propositio. Syllogismus uero nihil aliud est, quam id quod ex duarum propositionum iunctura resultat, quæ tamen non copula, ipsius esse, sed communi termino iunguntur, ut enim in ædificiis construendis lapis lapidi calce annectitur, latus uero lateri lapidibus, ita ĩ ratiocinationibus termino terminus copula ipsius esse, iungitur: propositio uero propositioni nõ, esse, aut, non esse, sed communi termino annectitur, quod medium, ut supra dictum est, appellatur.

Medii potissimum inuentione opus esse ad ratiocinandum. Cap. II.

CVm nullus Artifex sine cõmoda materia propriã formam introducere possit, & ratiocinationis materia sint propositiones, quæ ex terminis conficiuntur, facile quilibet ex se ipso colligere poterit, quod sine his syllogismum construere nõ licet. Cæterum nisi quis medium ad extrema, extremaq; ad medium referre nouerit, nunquam licet terminos, propositionesq; infinitas habuerit, conclusionem aliquam certa methodo colliget,

propterea quod qua materiam ad syllogismum conficiendum utilem non agnoscit. Est enim similis medico, qui ptisanam, lactucã, Rhabarbarum, multaq; alia eiusdẽ generis medicamenta agnoscit, ipsorum tamen uim, atq; usum prorsus ignorat, ut enim ille neminẽ, nisi fortasse casu, seu fortuna curaret, ita hic haud quaquam artificiose ratiocinaretur, qui uero mediis abundat, propositionum, ac terminorum copiam habere necesse est, simul enim & quorũ sit medium agnoscit. Ob id igitur, & propterea quod fere semper extrema tanquam nota proponuntur, de medii tantum inuentione uerba faciẽtes, simul & de tota ratiocinationis materia quodãmodo sufficienter pertractari putamus.

Quot modis medium in uniuersum reperire contingat & de qua inuentione nobis agendum sit. Cap. III.

PRincipium igitur facientes dicamus eum probe inueniendi medii, atq; abundandi methodum habiturum, qui cognouerit quibus in uniuersum modis eo carere possimus, & unicuiq; defectui ueluti medicus quidam cuilibet ægritudini plura adiumenta non casu, sed certo iudicio ferre possit. Simpliciter autẽ bifariam medio carere contingit, aut eo quod ociosa principia habemus, aut quia propositiones, terminiq; deficiũt. Remotior sane hic posterior modus a ratiocinatione existit, ille autem prior quanto propinquior, tanto fœdior, turpiorq; existit, ut enim arma gerentes, magis quã inermes, nisi se, suaq; tueantur damnamus, ita aduersus eos, qui

propoſitiones habent & ipſis exigente uſu nó utuntur natura affecti,cóparatiq; ſumus, indicio auté ſit omnes lubentius ſe aliquid ignoraſſe, quam quod medium nó uiderint cóceſſuros,& quod illi facile excuſantur,hi uero ſupplicio digni cēſétur,aut ea animi parte(iudicium fortaſſe uocant)quam omnes optimā habere putamus, indigere,aut turpiter abuti exiſtimantur. Præterea eos, qui inconſulto,aut propter obliuionem ſe aliquid feciſſe dicunt,magis quidē iis,qui prorſus ignorauerint,minus tamen quam qui cum ambas ante oculos præmiſſas habuerint,ratiocinium tamen non concluſerint,omnes peccare fatemur, illos enim tanquam ratione non utentes repræhēdimus,monemuſq;,ut in futurum ſibi melius conſulant,hos uero quaſi iudicii expertes,& ad aliquid boni efficiendum prorſus ineptos,increpantes expellimus. Dimittentes igitur ad preſens eam,quæ ex terminorum ignorantia medii fit,inopiam,iis,qui licet propoſitiones habeant,non tamen ratiocinantur,medii inueniendi artem tradere cóabimur,hoc enim quia maiori occurrit uicio,& minori comparari negocio poterit charius unicuiq; eſſe debet,prætereailli, quib9 termini deficiunt,poſtquam illos inuenerint facile hac methodo utentes ratiocinari poterunt,terminorum autem inueniendorum tractationem hoc in loco commode docere non poſſumus,propterea quod communis eſt definitioni,diuiſioni,inductioni,&omnibus aliis logicis actionibus,quapropter in alıud commodius tempus differatur,ne idem fruſtra pluries repetere cogamur.


Quid ſit Medium, Cap. IIII

queadmodum


VEmadmodum ædificatores materiā ad ædificium conficiendum aptam requirentes ante oculos semper habēt ipsius ædificii ideā, seu exemplar, & si quis interrogaret quid sit ianua, tectum, pauimentum, & quot, & quæ in unoquoq; requirantur, facile respondere possent, ita de syllogismi materia, seu de inuentione medii uerba facturos, non solum quid sit syllogismus, quid propositio, & terminus præcognoscere, sed etiam quid medium & quot ipsius differentiæ reperiantur, latere non deberet, & nos, ut supra testati sumus, hæc omnia tanquam præcognita recepimus, cæterum ne processus noster, etiam iis, qui hæc probe callent, ualde obscurus reddatur, breuibus in memoriā redigere decreuimus, quid sit medium, quot ipsius differentiæ statuantur, & quo pacto in uniuersali reperiri debeant, ut commodius de ipsius inuentione in particularibus speciebus omnia intelligi possint; ita tamen de ipso uerba faciemus, ut potius scientibus memoriam excitare, quam prorsus ignaros docere uideamur. Vniuersa autē ipsius medii natura, atq; uis, qua subiectum, seu minor extremitas cum attributo, seu maiori extremitate coniungitur, explicanda, ne si ad singula respiceremus, aut plurima propter multitudinem omittere, aut inutilia tanquam commoda ob uniuersalis idææ ignorantiam admittere cogeremur. Quēadmodum enim ad aliquid uinciendum mollia oblonga, flexibilia, fractuq; contumacia in uniuersum apta esse diceremus, & nō restim, uimina aut aliquid aliud tale in particulari, ad glutinandū uero ea quæ, cū ptinaciter

adhæreant, absq; diuulsione trahuntur, & nõ ceram, aut collam, ita pro medii syllogistici definitione aliquid, quod his proportione respondeat, reperire tentandum. Cum igitur medium utriq; esse iunctum extremitati dixerimus, manifestum, quod non colla, aut uinculo, sed ea iunctura, qua termini in propositione iunguntur. Iũguntur autem ipsi (ut supra supposuimus) secundũ antecedendi, & consequendi rationem, ergo & medium extrema antecedere, ac cõsequi necesse est, ita ut nihil aliud sit, quam id, quod duabus iungitur extremitatibus, secundum antecedendi, & consequendi naturam. Cæterum cum hoc ratiocinationis medio, in qua nihil necessario colligitur, commune sit, addamus, ita ut per ipsum extrema necessario iungãtur. Vtilis igitur ratiocinationis medium nihil aliud erit, quã terminus duobus aliis tanquam extremis ita iunctus (seu qui iungi potest in presentia enim nihil referat) ut etiam ipsi illius beneficio inter se necessario connectantur, quo fit, ut omnes termini, qui talem naturã habent pro mediis recipi possint, de quibus infra diligentius acturi sumus.

De medii differentiis, seu speciebus ab ipsius natura sumptis. Cap. V.




VM ratiocinatio ex medii ad extrema connexione resultans aliquando utilis, aliquando uero inutilis reperiatur, operepreciũ fore duximus, si in memoriam breuiter reuocemus, quot in uniuersum medii ad extrema

diuersæ cõnexiones fieri possint, deinde strictim, ac per summa capita inutiles abiiciamus, concludentes uero summa diligentia quoniam ab ipsis tota tractatio pendet, memoria repetitos contineamus, & quo pacto medium in ipsis reperiri debeat, aperiamus, hoc enim nihil aliud erit, quam differentias a medii forma desumptas explicare. Cum enim genus ipsius, seu materia sit terminus, differentia uero communis, extremis iungi, ultima uero, ita ut inter se necessario connectantur. Manifestũ, quod declarantes quot modis iungitur, primæ differentiæ satisfaciemus, utiles uero ab inutilibus segregantes, ultimæ ipsius differentiæ, seu, quod idem est, hoc pacto species eius omnes explicabimus. Dicamus igitur medium ad extrema secundum antecedendi, & consequendi rationem comparatum quatuor statim uniuersales conficere dispõnes, seu, ut pene omnes uocant, figuras, nam, aut utranq; consequitur, aut utramq; antecedit, & sic secunda, & tertia fiunt dispositiones, medium enim aut de utraq; extremitate prædicatur, & sic est secunda aut utriq; subiicitur, & tertia appellatur figura. Aut alteram medium antecedit, alteram uero consequitur extremitatem, & hoc duobus modis, nam, aut maiorem antecedit, minorem uero consequitur, & sic est prma dispositio, aut contra maiorem consequitur, minorem uero antecedit, & quarta figura dicitur, cuius quæstionem an scilicet recte aliquid ea colligere possimus, an non, in aliud tempus distulimus, impresentia enim supponimus ea, quæ ad simplicem syllogismorum conformationem requiruntur, & memoriæ tantum renouandæ,

gratia hæc dicimus, et ideo ne monẽdi cursus impediat
nõ solum hæc, sed pleraq; alia, ad propriam de ipsis trac
tactionẽ reseruẽtur. Quatuor ergo secundum antecedẽ
di, consequendiq; differentiam dispositiones in uniuer-
sum reperiũtur. quarum, siquis aliquid simile, facilioris
doctrinæ gratia, requirit, duo ligna aut aliquid aliud
tale, tanquam duo extrema accipiat, ipsisq; directis
aut a superiori parte, aut ab inferiori tertium adiungat
hoc modo. ⊓ ⊔ sic simile quippiam secundæ & tertiæ
figuræ ante oculos habebit, aut ab unius superiori par-
te incipiens in inferiorẽ desinat, hoc pacto. N. aut cõtra
ab alterius inferiori parte in prioris fastigium ascendat
sic. И . et hoc modo prima, et quarta dispositio suo nexu
cõficiũtur, & ut in lignis, lineis, & ceteris generis eiusdẽ
nullum alium præter dictos nexum reperire contingit,
ita in terminis ipsis euenire censẽdum est. Ipsarum autẽ
unaquæq; dispositionum in quatuor rursus mẽbra, ob
similem dictis causam, distribuitur, nam in qualibet ip-
sarum, aut affirmatiue utriq;, aut negatiue medium iun
gitur, aut hinc affirmatiue, illhinc uero negatiue, &
hoc, ut etiam supra, duobus modis, aut enim maiori ex
tremitati secundum affirmationem, minori uero secun-
dum negationem, aut contra maiori affirmatiue, minori
uero negatiue coniungitur. Quod, si hoc idem in lignis
experiri cupis, accipe extrema in una quaq; dispositio-
ne, aut crassa, aut gracilia utraq; aut dextrum crassum,
sinistrum uero gracile, aut contra, & sic sine dubio in
unaquaq; dispositione quatuor resultabunt species, ita
ut sint omnes numero sexdecim, quarum unamquamq;

ſecundum uniuerſale & particulare, eadem de cauſa,
augere oportet, quod ſi in lignis aliam contrarieta
tē reciperes puta, quod extrema, qua rotunda
& quadrata, cōſiderarentur. nemini dubium
eſſe puto in unaquaq; ſexdecim dictarum
ſpecierū quatuor perpetuo reperiri com
binationes, ita ut ſpecies ſeu medii
differētiæ ſeu ratiocinādi mo
di ſint oēs numero ſexa
ginta quatuor, quos
ut quilibet uno in
tuitu perſpice-
re poſſit, ſub-
iectā tabel
lam ap-
poſui
mus.


Cōſequētia uniuerſalia affirmatiua bonum, uoluptuoſum.
Conſ. particularia affi. honeſtū, laborioſum.
Conſ. uniuerſaliter negatiue. Malūdolorificū
Conſ. particulariter neg. Inutile, laborioſum.
Maiorem extremitatem ſ. expetendum.
Antecedentia uniuerſaliter affi. pax trāquillitas
Antecedētia particulariter affi. ocium, utilitas.
Antecedentia uniuerſaliter neg. Malum, uitium.
Antecedentia particulariter neg. ocium, amicitia.
Conſ. uniuerſalia affi. laus, honos, amor.
Conſ. particulariter affi. utilitas, labor.
Conſ. uniuerſaliter neg. uituperium, dedecus.
Conſ. particulariter neg. inutile, fluxile.
Minorem extremitatem ſ. cognitionem.
Antecedentia uniuerſaliter affi. ſcientia, ars, uirtus.
Antecedētia particulariter affi. utile, paſſio
Antecedentia uniuerſaliter neg. Ignorantia, obliuio.
Antecedētia particulariter neg. paſſio, receptio.

De inuentione medii in uniuersali. Cap. VI.



IS ita dispositis manifestum unicuiq; esse puto, quod medium ad maiorem extremitatem una ex octo ipsius cohordinationis differentiis necessario annectetur, & simili ad minorem se habebit modo: Quapropter si aliquid unum, & idem existens utranq; ingrediatur cohordinationem, quomodocunq; id faciat, nos mediũ & proinde ratiocinationem habebimus, non tamen adhuc scimus an necessario concludat, an non, uerum de his postea agẽdum, impresentia uero nobis sufficiat, quod simpliciter medium inuenire, nihil aliud est, quam reperire aliquid, quod cum unum & idem sit utranq; cohordinationem ingrediatur, hoc autem facile reperies, si terminorum in quæsito existentiũ seu maiores & minores extremitatis antecedẽtia, & cõsequẽtia oĩa, ſm oẽs differẽtias diligẽter scrutatus fueris, quæ nobis quæri nõ debent, sed tanquã inuẽta præsuppon. Vt igitur in proposita tabella recto ordine procedere possimus, primo uidendũ, quo pacto aliquis terminus ex maioris extremitatis ordine, seu, quod idẽ est, ex prædicati in quæsito parte, ad ipsam maiorem extremitatem se habeat, an scilicet consequatur an antecedat, ne figuram confundas, deinde affirmatiue ne an negatiue, uniuersaliter ne an particulariter, & cum eo maior propositio erigenda est. Preterea cum illud idem, quod maiori extremitati annexum est, etiam minori aliquo pacto iungi debeat (alioquin enim ratiocinari non contingeret) uidendum, cui ex parte sub

iecti,seu minoris extremitatis, idem sit, an uidelicet iis quæ ipsam antecedunt, an iis quæ consequuntur secundum omnes ipsorum differentias, & statim cum ea statuenda est minor propositio, deinde conclusione extremitates, relicto medio, connectere oportet: modo necessario id fieri possit, sin minus, monendum nihil ex tali cōnexione tuto necessarioq; sequi, uerum, ut hæc commodius intelligi possint, uno, atq; altero exemplo difficultatem omnem auferamus, consequuntur uniuersaliter affirmatiue maiorem extremitatem scilicet expetendũ, bonum & nonnulla alia, sed nobis unum una uice tantum recipiendum, & propositio connectenda hoc modo, omne expetendum est bonum, deinde minor propositio fieri octo poterit modis, nam bonum, potest esse idem cum antecedentibus & consequentibus minorem extremitatem scilicet cognitionem quomodo id facientibus: sit igitur exempli gratia idem, quod perfectio cōsequens uniuersaliter ac affirmatiue subiectum ordine primum, manifestum quod quemadmodum uere dicere possumus omnis cognitio est perfectio, ita cum bonũ idem sit, quod perfectio, omnis cognitio est bonum, proferre licebit, & sic connexio talis erit, ut medium in secũda figura ambas extremitates uniuersaliter affirmatiue consequatur hunc in modum.

Omne expetendum est bonum.

Omnis cognitio est bonum.

Ex hac autē ratiocinatione, ut postea uidebimus, nihil sequitur, si autem cum aliquo eorum, quæ uniuersaliter negatiue subiectum consequũtur, bonum idem esse statuamus

tuamus, sic figura non uariabitur sed conclusio necessa rio inferetur, hoc modo.

Omne expetendum est bonum.

Nulla cognitio est bonum. Ergo nulla cognitio expetenda est. Et hic non ad nostrum exemplum, sed simpliciter modo, & terminorum dispositioni toto animo incumbendum, quod si quis in aliis, hoc, quod nos in duobus tantum fastidii fugiendi gratia fecimus, experiri uelit, nō solum in illis octo, quæ ipsi uniuersali consequenti affirmatiuo annexa sunt, ut ex ductu linearum patet, idem efficere poterit, sed etiam in omnibus, quæ sunt ex parte maioris extremitatis: unde si quis omnia prosequatur, cum utrinq; octo in alia octo ducēda sint, absq; dubio sexaginta quatuor prædictæ arguendi species resultabūt. Quod sicut placuerit prius medii adminorem extremitatem connexionem ponere, deinde, cui ex parte maioris, idem sit, inuestigare, manifestum, quod omnes eosdem modos reperiet, numerum tamem non augebit, cum eadem utroq; modo reperiantur; hucusque igitur uidimus quot sint species syllogismorum & quo pacto medium in uniuersali reperiri debeat, nunc uero utiles ab inutilibus segregabimus, deinde quo pacto in utilibus procedendum sit pro uiribus aperiamus.

Quæ sint medii differentiæ utiles, & quæ inutiles. Cap. VII.

QVemadmodū domus cōseruandæ supellectilis gratia fit, ita ratiocinatio conclusionis inferendæ causa, & ut domus, quæ supellectilem tuto seruare nō pōt,

uere domus dici non debet, ita ratiocinatio, quæ conclu sionem necessario nō infert, æquiuoce ratiocinationis nomen sibi uendicat, quapropter ne in mediis reperiendis, quæ nihil conferre possunt, frustra amplius laboremus, breuibus utiles ab inutilibus segregabimus, deinde, quo pacto circa utiles ratiocinationes uersari debeamus, prouiribus aperiemus.

Omnes nexus, qui fiunt ex medio utrinq; in parte, aut secundum negationem deiuncto, quacunq; in dispositione fiant, inutiles sunt, qui, cum sint octo & uiginti, fit ut sex, & triginta numero relinquantur, quod si mediū negatiue minori extremitati annexum sit, quomodocū que maiorem respiciat in prima, & tertia dispositione nihil sequit̃ necessario; & hi modi sunt numero sex. In prima autem, & secunda figura, medio ad maiorem extremitatem in parte iuncto, nihil, utcunq; ad minorem se habente, tuto colligitur. Modi autem quibus id fieri potest, suntquinq; secūdæ autem dispositionis proprium est, ut medio utrinq; affirmatiue annexo, nihil artificiose sequatur, hoc autem dupliciter fieri cōtingit, ita ut ex triginta, & sex, tredecim ablatis, tres, & uiginti relinquātur, a quibus auferendi sunt, iis, qui quartam figuram respuunt nouem ita ut quatuordecim tātum utiles supersint, quatuor in prima, totidemq; in secunda, sex uero in tertia, nobis autē, qui necessario hac figura aliquid colligi arbitramur, aliopacto dicēdum est, in ipsa igit̃ tria reperiuntur propria; quorum primum tale est, ex medio particulariter utcunq; repugnante nihil sequitur necessario, ex quo duo auferunt̃ modi, secundū est hoc. ma

iori extremitati medio uniuersaliter, minori uero in par te affirmatiue copulato, nihil colligitur certi, tertium at que postremum, si medium maiori particulariter affir matiue, minori uero uniuersaliter negatiue iũgatur fru stra cõcluditur, cum autem his tribus propriis quatuor tantum modi auferãtur, manifestum quod siquis eos ex tribus & uiginti subtraxerit, unde uiginti, utiles, atq; ne cessario concludentes relinquentur, & in quarta figura quinq; modi utiles reperiẽtur. nec alius iudicio meo ad di modus potest, nisi quis syllogismos, qui fiunt ex am babus singularibus, admiserit, nos autem quia tales pro positiones in omnibus fere cum particularibus conueni unt, & raro a philosophis petuntur, simul cum indefini tis ad ipsas redegimus, ne, illis adiũctis, syllogismorum numerus in infinitum propemodum augeretur, infra ta men quo pacto ex ambabus singularibus ratiocinatio extrema necessario colligens fieri possit declarabimus.

De inuentione medii in ratiocinationibus ne cessario concludentibus. Cap. VIII.



CVM ratiocinandi modi, seu species necessa rio conclusionem inferentes undeuiginti no bis propositi sint, unumquemq; memoria te nere debemus, quãdo eo uti uolumus, & pre cipue, quo ad medium terminum nisi enim quo connectatur modo in singulis per spectum sit, cum nihil fere in uniuersali tradi possit, casu atq; fortuna ra

tiocinari,mediumq; inuenire continget,noto autem exi
ſtente nexu, quo extrema medium antecedit,ac conſe-
quitur,& id ipſum affirmatiue ne an negatiue,uniuerſa
liter ne an ſecundumpartem,ſtatim propoſitiones,quas
certa inter ſe iunctura efficiunt, reperire tentandum,&
has non ambas ſimul, ſed ſeparatim,nō cognitione no-
ua,ſed potius methodo quadā,inter eas,quas propemo
dum infinitas anima noſtra cōtinet, nouitq; reperire de
bemus,exempli gratia,ſit in animo primo primæ diſpo
ſitionis modo aliquid colligere,hic,cum medium maio
rem extremitatem uniueſaliter antecedat, minorē uero
uniuerſaliter cōſequatur utrinq; affirmatiue, manifeſtū
quod duas propoſitiones affirmatiuas,ac uniuerſales re
perire debemus,unam in qua medium ſubiiciatur,alte-
ram in qua prædicetur,uerbi gratia ſit medium,laudabi
le,maior extremitas,expetēdum, minor uero, cognitio,
maior propoſitio debet eſſe talis, omne laudabile expe-
tēdū eſt. minor uero huiuſmodi,oīs cognitio laudabilis
eſt,ex quibus ſequitur,omnis cognitio expetenda eſt:&
id quod in præſenti modo dicimus in aliis faciendū eſt,
quos breuitatis gratia omittimus,ille igitur inueniendi
medii facultatem adeptus erit,qui aliquid,ut ſupra dixi
mus,repererit,quod,cum unum & idem ſit,utranq; co-
hordinationem ingrediatur,& hoc non quomodocūq;
ſed uno ex predictis modis,ei,qui ſimpliciter ratiociniū
quærit,ei uero,qui determinato mō, ſeu figura,aliquid
colligere cupit,certus nexus in utraq; cohordinatione re
periēdus eſt,qui quidem nexus,ut paulo ante teſtati ſu
mus, nihil aliud eſt quam propoſitio quædam, & cum

maiori extremitate maior ꝓpositio uocatur, cũ minori uero minor, quo fit ut siquis in unaquaq; ratiocinandi specie omnium generum propositiones ad ratiocinãdũ requisitas arte aliqua inuenire posset, atq; ipsis abundare, sine dubio ratiocinandi facultatem haberet, ut igitur certa methodo propositiones ipsas reperire ualeamus, prius uidendum quot specie diuersa propositionum genera, quo ad ratiocinationem pertinet, reperiantur, dein de quo pacto sĩgula reperire, & ipsis abũdare possimus.

Quot sint medii cũ altera extremitate nexus, seu quod idem est de propositionum generibus, quæ ad ratiocinãdum quæruntur. Cap. IX.



SIQVIS ea quæ in tabula superius posita, &in toto capite dicta sunt, diligenter considerauerit, facile quot sint propositionum genera, quibus ad ratiocinandum est opus, ex se ipso cognoscere poterit. uerũ pro iis qui non ita facile intellexerunt, dicamus propositionum quasdã esse affirmatiuas, quasdã uero negatiuas, & rursum singulam ipsarum; aut esse uniuersalem aut particularem aut indefinitam, aut singularem, hoc enim suppositum esse debet ex tractatu de propositionibus, & ideo a nobis expectandum non est, ut aliquo modo ostendamus non esse plures, neq; pauciores, aut quo pacto opponãẽ conuertantur, & pleraq; alia tamquam proprias passiones recipiant: sed potius, ut illud, quod supra testati sumus in memoriam reuocemus, propositiones indefini-

tas,& singulares inpresenti tractatione sub particularibus cõtineri,ita ut quatuor sint propositionum genera, si per se considerentur,uniuersalis affirmatiua,uniuersalis negatiua, particularis affirmatiua & negatiua,quæ, quo ad medium terminum spectat, duplantur, nã possumus singulam prædictarum accipere, uel pro ut medium subiicitur, seu antecedit,uel pro ut prædicat̃, seu consequitur, ut enim in exemplo sopra posito,quando accipimus ꝓpositionẽ,in qua mediũ uniuersaliter affirmatiue maiorẽ extremitatem antecedit multũ referret si ipsum uniuersaliter cõsequi sumptũ fuisset(nihil enim necessario colligeretur,)ita in omnibus aliis euenire cẽsendum est,nam aut nihil concluditur,aut ratiocinationis figura,aut modus permutatur;rursus quælibet propositio aut continet medium cum maiori extremitate, aut cum minori, quo fit, ut iterum ipsarum numerus duplicari debeat,sex igitur & decem sunt numero propositionum species,quæ ad inuentionem medii,seu omnino, ad ratiocinandum quæruntur, quarũ octo respiciunt prædicatum,reliquæ uero subiectum, ut commode in superiori tabella,cernere licet,ei,qui antecedentia omnia & consequentia cum maiori, & minori extremitate copulauerit.

De inuentione medii pro ut cum altera tantum extremitate coniungitur,seu,quod idem est, de propositionum inuentione. Cap. X.



Icebamus in superioribus ratiocinationũ ne
cessario cócludétiũ mediũ una apprehésione
per se inueniri non posse, sed ipsius nexũ cũ
utraq; extremitate respicere oportere, quo co
gnito, ꝓpositiones quas, ea iunctura, efficiũt, reperiédas
esse, nõ ambas simul sed separatim ꝓpterea quod quem
admodũ sensus nõ potest nisi unũ uno motu sentire, ita
animæ una ꝑceptione unã solũ ꝓpositioné cognoscere
licet: Hac auté de causa quot inuniuersum ꝓpositionũ
reperirentur genera, superiori capite cóplexi sumus, im
præsentia uero his ita declaratis manifestũ unicuiq; esse
debet, quod siquis terminorũ antecedentiũ & consequé
tium utranq; extremitatem, tam uniuersaliter, & particu
lariter, quam secundum affirmationem, & negationem
uim, atq; usum adeptus esset, facile medii cum altera ex
tremitate nexum reperire, nam quando deficit aliqua
medii iunctura, aut omnino maior, aut minor ꝓpositio:
Ideo deficit, quia ignoramus terminum qui antecedat,
aut cósequaté, eo modo, quo opus est aut maius, aut mi-
nus extremũ: unde fieri pót ut terminos aptos habétes
quia ipsorum uim, atq; naturam ad aliud referre ignora
mus, medio nihilominus destituamur. Ne igitur ĩ adeo
turpe flagitium incidamus, de ui, atq; potestate omniũ
terminorum nobis dicendum est, pro ut ad alios secun-
dum omnes assignatas differentias referuntur, sic enim
postea. quum quæréda erunt ea, quæ uniuersaliter ante
cedunt, aut consequũtur, aut secũdum aliquã aliam dif-
ferentiã affecta sunt, facile ad hæc respicientes, qué uo-
lumus nexum reperire poterimus, reliqua tãquam in-

utilia pretermittentes: nam qui cognoſcit oppoſita ſecundum negarionem uniuerſaliter ſe inuicem antecedere, ac conſequi, ultra id quod ipſis tempeſtiue utetur, facile quando affirmatiue conſequentia reperienda erunt ipſa reſpuet oppoſita, & ſimiliter in aliis cæterum hec ex iis, quæ dicemus, facillima euaſura, exſtimamus modo lector amnino logicæ facultatis non ſit ignarus, & in iis quæ a principio diximus mediocriter ſe exercuerit.

Quo pacto termini ſe inuicem antecedant & conſequantur Cap. XI.



ERMINORVM quidam falſo antecedũnt, & conſequũtur, de quibus impreſentia nihil dicendum eſt, ultra enim id quod ſecundum ſe nõ quæruntur, niſi fortaſſe a ſophiſtis ipſorum natura ex iis quæ de ueris dicemus innoteſcet, ſiquis enim ſpeciem uere, atq; uniuerſaliter genus antecedere dixerit, falſum erit, ſi alius hoc uon facere aſſerat, ſed potius aliquid aliud ipſi attribuerit, ſimiliterq; de aliis inteligẽdũeſt. & ut in uniuerſum dicamus in omni genere rerum idem artifex ex cognitione recti obliquũ in proprio genere congnoſcit, ut medicus ex eo quod ptiſanam exhibere bonum iudicat, aut uenam ſecare, id ipſum non facere, malum, aut omnino non bonum eſſe intelligit, & hoc pacto omnes alii procedunt artiffices. Eorum autem qui uere prædicantur terminorum, quidam ſecundum affirmationem hoc faciunt, alii uero ſecũdum negationem, qua propter prius de affir-

de affirmatiuis,deinde etiam de negatiuis aliquid breuibus dicturi ſumus,potius reſtaurandæ memoriæ gratia quam docendi conſilio,propterea quod de ipſis abſolute agere præſens tractactio non ſinit.ſupponamus igitur ex iis, quæ ex terminorũ cognitione nota eſſe deberẽt, noſq; alias commodiori loco demõſtrabimus,ſex numero reperiri terminos, & non plures neq; pauciores, qui antecedẽdi & ꝯſequẽdi ex ſe ipſis naturã habẽt:hi autẽ ſunt indiuiduũ,ſpẽs,genus,definitio,ꝓpriũ accidẽs,differẽtia autem cõuertibilis cum proprio,uniuerſalior uero cum genere in tota hac tractactione nobis redigaẽ, horum autem unuſquiſq; quid ſit, quo pacto prædicetur,& quid omnibus comune, & quid unicuiq; proprium tamquam præcognitum eſſe debet, modo uidendũ eſt quo pacto quilibet ipſorum ad reliquos ſecundum, antecedendi,&conſequẽdi naturam ſe habeat.Conueniunt igitur omnes in hoc, ut,qui antecedit aliquem terminum,antecedat etiam eos,quos ille antecedit, exempli gratia, homo antecedit animal, & animal antecedit mortem, ergo & homo mortalis erit, ſimliter etiam, qui conſequitur aliquem, etiam quos ille conſequitur, comitatur:ut in propoſito exemplo,oppoſito modo ꝓcedendo,facile cernere licet, nam mors cõſequitur aĩal, & animal hominẽ ergo & mors hominẽ cõſequeẽ. Nos tamẽ de iis tantũ quæ ĩmediate ſe inuicẽ antecedunt & conſequuntur uerba. facturi ſumus,reliqua uero, quæ propter aliquod interiectum medium id faciunt in præſentia omittemus,nõ propterea quod ipſa ad ratiocinationem conficiendam inutilia iudicemus,ſed quia præ-

dicto uniuersali principio cõtinẽť,nũc uero quo pacto se inuicem antecedãt,& consequantur dicendũ uidetur. Indiuiduum igitur speciem particulariter antecedit, & eodem pacto consequitur exempli gratia Socrates est homo,& quidam homo est Socrates,uniuersaliter autẽ indiuiduum non antecedit,licet totum subiiciatur, pro pterea quod uniuersalem in se naturam, qua id facere possit,sortitum non est,propriæ autem speciei genus, ipsiusq; definitionẽ,propriũ,& accidentia,usq; ad summa recipit quidem omnia,sed nõ immediate,ideo omittantur. Habet autem indiuiduum, propria,definitiones, & accidentia,quæ ipsi,qua tale attribuuntur,ex quibus syllogismus in omnibus dispositionibus fieri potest,ut,

Qui est Florentiæ dux secundus iustitiam facit.

Cosmus Med.est Florentiæ dux secũdus,ergo Cosmus iustitiã facit,& sic in aliis. Raro tamen his argumentis artifices utuntur, utpote, qui circa uniuersalia uersenť, siquis tamen ipsis uti uult nos non impedimus, immo monemus,ut ipsum cõsiderẽt qua ad speciem, & etiam qua ad suas definitiones,& ꝓpria referť,ipsum tamẽ aliis de causis infra dicẽdis a nostra tractactiõe reiecimus. Species, pro ut accipitur qua sub assignato genere continetur,genus,proprium,definitionem,accidentiaq; in plus antecedit,quid autẽ sit accidens in plus.aut in minus infra proprio loco dicturi sumus,nunc exemplis id quod diximus,aperiamus est,uerũ dicere omnis morbus est habitus,modo hoc illius esse genus concedatur, rursusq; omnis morbus est habitus preter naturam primo lædens actiones;simili etiam modo dicemus omnis

morb9 infeſtat, læditq́;, in parte, uero antecedit accidés, in minus, ut quidā homo eſt medicus, cōſequit̃ uero uniuerſaliter ꝓpriū, ut quicquid riſus capax eſt, homo eſt, definitionē, ut omne animal riſile eſt homo, accidés in minus, ut quilibet medicus eſt homo, ſecundū partē uero cōſequit̃ genus, ut quædā uirtus eſt iuſtitia, accidés in plus, ut quidā rebus honeſtis gaudens iuſtus eſt, Genus, licet multifariā dicat̃; nobis tamen impreſentia accipitur pro ea notione, ſeu cōceptu, ſeu uniuerſali ſeu prædicabili, (pro eodē.n. hæc omnia recipiantur) quæ de pluribus ſpecie differetibus in eo quod quid prædicatur, quod, ſeu ſit alicuius cathegoriæ genus, ut animal, habitus, aut aliquid aliud tale, ſeu compoſitum ex ſubſtantia, & accidente, quod genus ſcibile appellant, ut corpus ſalubre, linea uiſilis, numerus ſonorus & reliqua talia, ad præſens nihil referat, idemq́; de ſpecie & in diuiduo intelligatur, in omnibus enim, pro ut ad præſentem tractactionem pertinet, eadem eſt ratio, ſimiliter differentia ſub capite de genere (ut ſupra dictū eſt) redigatur, cum naturam generis ſapiat, prædicatur.n. uniuoce, & in plus ſe habet quemadmodum & ipſum. Genus igitur hoc modo ſumptum uniuerſaliter ante cedit definitionem, exempli gratia omnis uirtus eſt habitus in mediocritate conſiſtens, proprium ut omnis ſubſtantia ſuſcipit contraria, accidens in plus, ſi habet, ut omne aīal corruptionis particeps eſt, particulariter uero antecedit ſpēm, & accidés in minus, ut quidā mor bus eſt intēperies, quidā morbus ꝯcoctionē uitiat cōſe quit̃ uero uniuerſaliter ſpēm, ut oīs intēperies morb9 ē,

proprium, ut quicquid est aptum contraria suscipere substantia est, definitionem, ut omnis habitus in medio critate cõsistẽs est uirtus, accidẽs in minus, ut quicquid ægritudinis particeps existit corpus est; particulariter uero consequitur genus accidentia in plus, ut quoddã corruptibile est animal.

Definitio pluribus dicitur modis, nam, & de ea ratione, quæ quid nomen significet, declarat, aliquando dicitur, aliquando uero de iis, quæ per accidentia rei naturam circunscribunt: quas proprio nomine descriptiones, & circumscriptiones uocamus, aliquando de iis, quæ ipsi rei definitæ proprie inhærent. quæ commodiori uocabulo propria uocari deberent, & præcipue nobis in tota hac tractactione, aliquãdo de definiõe formali, aut materiali, aut de ea ratiõe, quæ a fine, aut ab efficiẽte sumit. Nos igitur eas, quæ quid nominis tãtum dicunt, aut terminum accidentibus circumscribunt, aut propriis ostendunt, omnes relinquendas putamus, ut propriis in locis ostẽdantur, & per definitiones impresentia intelligemus eas rationes, quæ a causa sumuntur seu sit formalis, seu aliqua ex aliis, & seu una, seu plures, quæ omnes in hoc cõueniũt, ut uniuersaliter ea, quorum sunt definitiones, antecedãt, & consequantur, exempla autem ex iis, quæ supra diximus, facile colligi possunt.

Proprium aliquando accipitur pro eo, quod conuertitur cum eo de quo prædicatur, ita ut etiam definitionẽ complectatur, nobis uero, excepta definitione, omnia, quæ conuertuntur, tamquam propria recipienda, seu sint accidentia conuertibilia (hæc autem sunt propriæ

passiones) seu genera simul cum suis passionibus, seu descriptiones, seu ultimæ differentiæ absq; generibus, nam cum ipsis fortassis cóplctæ essent definitiones. Vltimam autem differentiam, ideo hic posuimus quoniã rarissime cognoscitur & ut plurimum ponitur propriũ quoddam loco ipsius, & hac de causa, neq; cum definitione, cum non sit conceptuum aggregatio, neq; ex se posuimus, licebit tamen unicuiq;, quem in locum potissimum uult ipsam accomodare. nos enim hæc nõ admodum multifacimus, quomodocunq; autem accipiatur proprium uniuersaliter antecedit, ac consequitur, id cuius est proprium, quemadmodum & definitio.

Accidens aliquãdo dicit' id, quod fortuito, & preter agẽtis institutionem euenit ut currẽti coxam luxari. uerum de talibus nihil inpresentia dicendum est, cum arte cõprehendi nequeãt, aliquãdo late accipitur pro eo, quod per se nõ subsistit: sed necessario in subiecto semper conspicitur, quo significato etiam propria compræhendũt'; sic enim aut æqualiter prædicantur, aut in plus, aut in minus se habent: nos autem iis, quæ æqualiter prædicãtur capiti de proprio relictis, per accidentia ea, quæ in plus se habent, aut in minus, intelligimus & hoc seu accidens solũ seu accidens cum subiecto ponat', quemadmodum etiam de proprio diximus. idem enim est dicere homo est albus & homo est animal album. uocamus autẽ accidẽtia in plus, ea quæ toti alicui subiecto insunt sed non soli, competunt enim etiam aliis, ut corruptio inest omnibus animalibus, & plantis, & aliis etiam puta metallis, elementis, & huiusmodi aliis, in minus uero ac

cidentia dicimus, quæ uni tantum insunt, licet non toti, ut homini esse medicũ, geometrã, musicũ & cætera huius modi: quod si qua sunt accidétia, quæ pluribus subiectis in parte cõpetant, ipsa qua talia ad ratiocinandum inutilia putamus, ut albedo, mollities, dulcedo, & similia. Accidentia igitur in plus particulariter antecedendi, uniuersaliter uero consequendi uim habent. In minus uero accidentia contra se habent, uniuersaliter .n. antecedere, particulariter uero consequi possunt; accidentia uero quæ uaga nobis appellari possunt, particulariter tãtũ antecedendi. & consequendi facultatem sortita sunt, infra tamen, ne fastidio lectores afficiantur, nulla de ipsis nobis mentio fiet, licebit tamen unicuiq; iis, quæ de accidẽtibus in minus dicturi sumus, excitato de ipsis proprium instituere sermonem.

Ex iis, quæ de sex terminis dicta sunt, facile quilibet colligere potest omnes respectiue, seu comparate, seu, ut nunc uocant, ad aliquid dici, nam species ad genus refertur, & genus ad speciem, proprium uero, definitio, & accidens subiectum cuius propria, definitiones, aut accidentia sunt respiciunt, tale autem subiectum, non potest esse nisi species, aut genus quo fit, ut quando infra de subiecto æquali, in plus aut in minus uerba commodioris doctrinæ gratia facturi sumus, de specie, aut genere fieri putandum sit, non pro ut inuicem referuntur; sic enim proprium nomen retinent; sed pro ut modo enumeratis subiiciuntur.

Deficiente igitur medio nniuersaliter maiorem, aut minorem extremitatem secundum affirmationem conse

quente manifestum ex dictis, quod ipsius genere, defi-
nitione proprio, & accidente in plus uti possumus, simi
literq; subiecto æquali, aut in plus, quod si non conse-
quētia sed antecedētia uniuersaliter affirmatiua quære
remus, specie, proprio, definitione, accidēte in minus, &
subiecto æquali & in minus uti liceret, particularia ue-
ro consequentia affectantibus, species, accidentia, & su-
biecta in minus inspicienda sunt, pro particularium ue-
ro antecedentium inuentione, genera, accidentia, & sub
iecta in plus diligenter discutere oportet, horum autem
exempla infra abunde ponemus.

De Terminis negatiuis. Cap. XII.



E terminis autem negatiuis aliquid in præ-
sentia dicturi supponamus negatiuam esse
propositionē in qua termini sibi inuicem re
pugnant, repugnant autem, quæ neq; eadē,
neq; in eodē esse possunt, hæc autē opposita dicunt͛; op
positio autē omnis (accipiatur hoc per inductionē, aut
a metaphysico supponatur, aut in aliud tempus probā
dum differatur) uel secundum affirmationem, & nega-
tionem fit, uel secundum contrarietatem, aut priuatio-
nem, & habitum, aut secundum relationem ad aliud, ita
ut immediatarum propositionum genera negatiuarum
quatuor fieri possint hunc in modum.

Contradictorie, non homo non est homo.
Contrarie. Album non est nigrum,
Secūdum priuationem, & habitum. Cæcum nō uidet.
Comparate seu ad aliquid, seruus non est dominus,

In his autem proprium eſt, quod termini ſe inuicē uniuerſaliter antecedant, & conſequantur ſecundum negationem: quapropter nulla fieri poteſt propoſitio immēdiata particularis, ſiquis ad oppoſitionem reſpiciat, terminos autem affirmatiuos diſcutiens genus, accidens, & ſubiectum in plus quando ſubiiciuntur iis, ad quæ referūtur particulares propoſitiones negatiuas efficere inueniet, quemadmodum etiam particulares affirmatiuas ſuo nexu conficiebant, Exempli gratia. Quoddam animal non eſt homo, hic enim genus ſpeciei ſubiicitur particulariter negatiue, nam ſiquis hoc negaret, uniuerſaliter ipſum propriam ſpeciem antecedere, ei concedendum eſſet, quod falſum eſt, & contra ea, quæ ſupra de ipſo dicta ſunt, & ut in uniuerſum dicamus. Communia, ſiue uniuerſaliora particularioribꝰ ſubiecta uniuerſaliter compræhendi nequeunt, & proinde neq; ipſa uniuerſaliter antecedere, neq; illa uniuerſaliter prædicari. Ex dictis igitur patet, quæ ſint antecedentia particulariter negatiue. Sunt enim genus, accidens, & ſubiectum in plus; conſequentia uero ſecundum partem negatiue erunt ſpecies, accidens, & ſubiectum in minus illis antecedentibus e diuerſo oppoſita, ut in propoſito exenplo, homo, cum prædicetur ſpecies quædam exiſtens, proprium genus particulariter negatiue conſequitur. Mediate uero propoſitiones negatiuæ reperiuntur in iis, quæ continentur ſub altero extremorum ut.

Cygnus non eſt niger,

Coruus nō eſt albus, & ſimiliter in aliis de quibꝰ infra. Quo uero attinet ad conſecutionem terminorum illud

ad

ad memoriam reuocandum, quod quicquid negatiue consequitur aliquem terminum, etiam eos, quos ille comitatur secundum affirmationem, negatiue consequetur, & quicquid negatiue antecedit aliquid, ipsius antecedentia affirmatiua, negatiue antecedet.

Cæterum hæc, & pleraq; alia ad propriam de ipsis tractactionem reseruentur, impræsentia enim nobis sufficit ut uideamus, quo pacto antecedentia & consequentia uniuersalia, & particularia negatiua reperiri possint, quæ facile ex dictis inuenientur, nam deficiente medio uniuersaliter maiorem aut minorem extremitatem negatiue antecedente, aut consequente, aliquid quod ipsi una ex dictis oppositionibus repugnet, reperire debemus: quo autem pacto oppositiones reperiātur, nunc docendum non uidetur, propterea quod diuisioni, & definitioni communis huiusmodi tractactio esse debet impræsentia igitur nobis tāquam notum supponendū. Particularia uero antecedentia, & consequetia reperiemus, eo quo paulo ante, diximus modo, sed hæc infra diligentius pertractabuntur, nunc in tantū manifestū sit, quod siquis medium, secundum propriam ipsius naturam respiciat, facile non solum in uniuersali, sed etiā in omnibus ipsius speciebus medium reperire poterit. Deficiente uero medio ex parte materiæ seu generis, quod simpliciter terminum esse dicebamus, medium facile reperiri poterit, modo terminos diligēter agnoscere, ac inuenire ualeamus: de hac tamen inuentione, ut supra diximus, modo agendum non est, sed potius tempestiuum uidet̃, ut de inuentione medii ex parte

nostri considerandi modi uerba faciamus; ut, quantum fieri potest, hæc tractatio nobis diligētissime absoluat.

De medii differentiis ex nostro acquirendi desiderio sumptis Cap. XIII.


VEMadmodum supra summatim medii species omnes, quæ ex ipsius natura accipi possunt, prosecuti sumus, nō solum quot, & quæ essent, quæue utiles aut inutiles, sed etiā quò pacto reperiantur, ita impresētia de illis uerba facere oportet pro ut ad nostrum procedendi modum referuntur, eiusdem enim artificis est aliquid simpliciter considerare, & pro ut ad aliud refertur, qua tale, passiones, & differentias inspicere, ut enim medicus, nō solum de tuenda sanitate agit in corpore simpliciter salubri, sed etiam, quo pacto debiliorem nacti habitum conseruari debeant, ostendit, rursus de iis, qui uitam liberam, & negociis plenam ducunt, præcepta tradit, ita & logicus, non solum de inuentione medii agere debet pro ut ad ipsius naturam spectat, sed etiam quò ad eos, qui circa ipsum diuersis affecti sunt modis, quod si magis claras cupis similitudines non ne qui conuiuas recipiendi artem callent, seu usum, ultra facultatē, qua simpliciter laute excipiuntur, hanc etiam callere debet, ut ex datis obsoniis conuiuium commodissime celebretur, aut, si simpliciter recipiendi facultas datur, nonne gradus, sexus, & conuiuarum uoluntatē probe nouisse expedit; ut omnibus, quantum fieri potest, commodissi

me satisfiat? nam, si longo itinere defessos tripudiis, atq; choreis ante cenam exerceret, inurbanus censeretur, si uero nuper cibatos, lautissimo conuiuio exciperet; ut postea tripudia per agerentur, praepostere fecisse dicere tur, ita in nostro negocio, siquis propositi quaesiti medium quaereret, aliqua methodus reperienda, qua id effi cere possimus ultra eam, quae ex simplici medii inuetio ne procedit, & similiter fortasse in aliis. Videndum igi tur quot modis medium nobis desiderari possit, deinde qua ratiõe unicuiq; desiderio satisfacere ualeamus. Aut igit. mediũ desiderare cõtingit ĩ syllogismis factis aut in iis, quos facere uolumus, ĩ faciẽdis autẽ (nã de factis posterius agẽdũ est) quatuor ĩ uniuersum modis mediũ de siderare possumus pmo, quod freqũetissime euenit, pro posito pblemate, seu quaetito mediũ quaerere, secũdo, ali qua propositione, seu multis intellectis aliquid, quicquid sit, ex illis inferre cupimus, tertio, propositis certis principiis, certas inferre cõclusiones conamur, seu quod idem fere est, & ideo sub uno capite statuantur, a certis conclusionibus incipientes certa principia reperire tentamus; quarto, & ultimo media desiderare cõtingit, in iis quorum quaesita, & propositiones propter terminorum defectum ignoramus, ut de demonibus, & aliis huiusmodi, cum neq; genera, neq; propria, neq; aliquid aliud tale, quo propositiones eriguntur, habeamus, medium in ipsis inuenire nõ possumus, nisi termini prius reperiantur, ipsorum autem inuẽtionem supra a nostra tractatione abiecimus, ideo genus hoc omnino nobis relinquendum est, licet etiam ipsum, cognitis terminis,

& propositionibus necessario ad unum ex enumeratis redigetur; reliquos autem omnes pro uiribus prosequemur, & primo primum propterea quod eo, uti dictum est sæpissime utimur.

Proposito quæsito medium inuenire. Cap. XIIII.



QVE Madmodū medici, qui exacte artē medicā docent, in primis quid sit morbus, quot ipsius differētiæ, seu species, deinde quo pacto morbum simpliciter, & sigillatim unamquamq; ipsius speciem curare oporteat, opportune præcipiunt, ita & nos circa inuētionem medii, quo ad ꝓpositū quæsitū spectat, recte ꝓcessisse uidebimur, si prius quid sit quæsitum, quot ipsius, prout ad præsentem tractationem pertinet differētiæ, deinde qua uia in una quaq; specie mediū reperiri debeat ostēderimus. Quæstio igitur, ut in uniuersum eam definiamus, nihil aliud est quam motus propter alicuius rei deficiētis cōcupiscentiam seu desiderium factus, qui a brutis & infātibus absq; ratione fit, ab iis uero qui ratione duce hoc faciunt, ut summatim dicamus agendi, aut faciendi, aut cognoscendi gratia expetuntur: Agendi quādo aliquid iustum, an iniustum sit quæritur non cognoscendi, sed potius recte agendi causa, faciendi quando lapides propter ædificium quærimus, aut ligna, aut aliquid aliud tale, aut remouendæ ægritudinis causa medicamenta, et cætera generis eiusdem perscrutamur. Cognoscendi uero desiderio, ut an plures reperiantur mundi, an proui-

dentia mundus regatur, in his autem nihil agere, aut facere cupimus, sed simplicem ueritatem animi perficiendi gratia perquirimus. Quæruntur autem & alia sed non per se, uerum ut agere, aut facere, aut cognoscere cupienti adminiculentur, exempli gratia præsens tractatio, qua de inuentione medii perquiritur, nullius dictorum gratia per se quæritur, sed ut habitu, qui inde contrahitur, ad ueritatis cognitionem commode uti possimus, sic artem militarem, & ciuilem, & cætera id genus quærimus non per se, sed ut commode agere, aut facere ualeamus. Cum igitur nos proposito quæsito medium inuenire uelimus, siquis lapides, aut medicamenta, aut aliquid aliud tale quæreret, manifestum quod cum aliquid agendum, aut faciendum sit, nos impræsentia ipsi satisfacere non debemus, nisi ueritatem quæreret, ut postea cõmodius agere, aut facere posset, ut medicus quærit quid sit ægritudo, quid sanitas an ptisana, lactuca & cæteris huiusmodi auferatur, aut conseruetur, non ut ueritatem agnoscat per se sed ut aliquid faciat. Quemadmodum igitur omnes artifices, aut per se, aut per accidens ueritatem ipsam perquirunt, ita logicus aut per se, aut per accidẽs omnibus cognoscendi artem tradit, sed nos in præsenti parte totam logicam non pertractamus, sed maxime necessariam ipsius partem, ideo uidẽdum, quibus nobis in uniuersali ueritatis cognoscẽdæ desideriis satisfaciendum sit, & quibus non, & quot sint eorum differentiæ, de quibus omnibus agendum est. Constat autem inter nos medium nulla alia de causa quæri, nisi ut extrema ipsius beneficio necessario annexa nobis co

gnoscant. si igit quæreretur quo pacto aliquid diuidẽdum, definiendumue sit, manifestum quod, cum ibi extrema non sint, neque etiam media erunt, ideo quando quæstio non est de propositione, seu enunciatione aliqua medium frustra quæritur, & nos impresentia tali propositæ quæstioni satisfacere non debemus, ita ut quæsitum syllogisticum nihil aliud sit, quã propositio seu enunciatio ignota (nam si nota esset eius cognitionẽ non desideraremus) pro ut ipsius aprehensionem ratiocinatione appetimus: nam si exemplo, aut inductione aut aliquo alio pacto propositi pblematis cognitionẽ quæreremus, quæsitum syllogisticum uocari non deberet. Cum igitur secundum genus quælibet propositio ignota esse possit & ipsius cognitio ratiocinatione desiderari, quot propositionis differentiæ erunt, secundum se, tot etiam & quæsiti secundum se reperientur: secundum formam uero, cum tot sint naturalia cognoscẽdi desideria, quot & ueritatis percipiendæ in aliquo iuncto modi, iunctum autem unumquodque duobus modis cognosci possit, an silicet uerum sit & propter quã causam, manifestum quod hæc eadem nobis quærere licet, exempli gratia an homo sit albus, an nõ, & propter quã causam sit albus, aut non sit. Prius igitur dicendum est quo pacto quæsito satisfaciendum sit, quo quæritur an aliquod iunctum simpliciter uerum sit, deinde quo ei in quo causa quæritur. Si quis igitur artem quã generatim quæsito responderi debeat interrogaret, per superius traditam methodum respondendum esset, nã idem est quo pacto simpliciter mediũ reperiatur, & qua ratione, quæ

situm per se concludatur agnoscere, quælibet enim medii species utilis concludit, quo fit, ut quælibet simplici quæsito, modo aliqua differentia non addatur, satisfacere possit, uerum rarissime, aut nunquam talia expetuntur, sed potius proponitur aliquod problema uniuersale, aut particulare, affirmatiuum, aut negatiuum, aut secundum aliquam aliam differentiam affectum, de quibus processu sermonis agemus, quorum, si methodum exacte non absoluemus, saltem utiliora, & maxime necessaria prosequemur, aliis hanc partem optime perficiendi ansam pro uiribus præbentes.

Impræsentia uero illud ignorandum non est, quod proposito quæsito syllogistico in primis exacte sciendum est, quid terminis, & tota quæstionis propositione significetur, ne æquiuocatiōe, aut amphybologia aut aliquo alio modo decepti, aliqua de re interroganti, seu quærēti, aliud respondeatur, aut syllogismo cōcludatur, debēt enim ita conuenire, ut eiusdem, ad idem, similiter, & secūdum idem, & quæcunq; pro sophistis apponerentur, intelligantur. Artē uero, qua hæc omnia dignosci possint, hoc in loco expectare non oportet; nā nō solū quærēti, seu rōcinanti, sed etiā diuidētibus, definiētibus, & oīno loquētibus hæc ars cōis existit, & integrū per se libellū exposcit, quē nos citissime (modo hæc nostra prorsus displicere non uideantur) edituri sumus. Quæsito autem, quo ad uocis interpretationē, noto existēte, uidendū est an affirmatiuū an negatiuum sit, & rursus uniuersale ne an particulare, quæ ut plurimum ita cognitu facilia existūt ut pcepta expectāda nō sint, quib9 hæc dignoscāt,

præcipue ab iis, qui ut a principio monuimus propositiones probe agnoscũt, quo fit, ut siquid hac in parte desideretur nobis impræsentia explicandum non sit, sed potius quãdo de propositionibus librum in lucem edemus. Rursus cum cognitũ sit quid quæratur, & id ipsũ affirmatiue ne an negatiue uniuersaliter an secundum partem, statim diligenter perspiciendum est quibus in figuris, seu dispositionibus, & quibus modis talia quæsita colligi possint, hoc autem ex iis, quæ supra diximus, quemquam latere nõ deberet, tamẽ ut dicenda facilius intelligãtur, breuibus ea repetere placet.

Quæsitum uniuersale affirmatiuum in prima tantum figura primo modo colligitur.

Vniuersale negatiuũ quatuor modis inferre licet uno in prima duobus in secunda & reliquo in quarta.

Particulare affirmatiuum uno in prima, tribus in tertia & uno in quarta ita ut sint omnes numero quinque.

Particulare negatiuum uno in prima, duobus in secunda, tribus in tertia & totidem in quarta, qui omnes nouenatium numerum explent.

Ex dictis manifestum unicuiq; esse debet, quod uniuersale affirmatiuum, cum in prima tantum figura, & uno modo colligatur, conclusu difficillimum existit, contra uero particulare negatiuum, in omnibus figuris, & plurimis modis colligi aptum, illatu facillimum est.

Reliqui uero quanto pluribus figuris, & modis utunẽ, tãto faciliores euadunt. Vnde nullum ex prædictis modis utilibus spernendum censeo, & multo minus aliquã ex dispositionibus, cæterum hæc paulo post ex iis, quæ

dicturi

dicturi sumus, notissima euadent.

Quo pacto, quæsito uniuersali affirmatiuo existẽte, medium reperire contingat. Cap. XV.

PROPONATVR igitur nobis quæsitum uniuersale affirmatiuum concludendũ, quod sit uerbi gratia, omnis homo est corruptibilis hoc (ut paulo ante dictum est) colligi non potest, nisi in primo primæ dispositionis modo, in quo medium maiorem extremitatem antecedit, minorem uero consequitur, utrobiq; uniuersaliter, ac affirmatiue. Reperiendum igitur nobis aliquid, quod antecedat corruptibile, & hominem consequatur, secundum predictum modum, ex iis autẽ, quæ in superioribus diximus, in memoriam reuocetur speciem, proprium, definitionem, accidens in minus, & similiter subiectum æquale, & in minus uniuersaliter affirmatiue simpliciter antecedendi facultatem habere, ex quo sequitur, quod seu prædicati, seu subiecti in uno quoq; quæsito eius generis antecedentia quæramus, ad hæc semper respiciendum sit, uniuersaliter uero consequẽtia erãt, genus, definitio, proprium, accidẽs in plus, & subiectum æquale, & in plus, quæ sola inspicienda sunt quando medium uniuersaliter, ac affirmatiue consequi, seu maiorem, seu minorem extremitatem debet. Quod si terminus subiectus seu prædicatus, genus, definitionem, subiectum aut aliquid aliud ex enumeratis non habuerit, ad reliqua transeundum, nos enim non as

ſerimus hæc omnia in omni quæſito reperiri, ſed in uniuerſum talia ſecundum propriam naturā apta eſſe ſubiici, & prædicari. Nunc ad propoſitum exemplum redeamus, ſit igitur ſpecies corruptibilis putreſcibile, proprium amittere agendi facultatem, definitio trāſitus corporis compoſiti ex p̄riis de eſſe ad nō eſſe, accidens uitā priuare, ſubiectum æquale, corpus ex contrariis conſtitutum, in minus, corpus ſenſibile, hæc enim omnia ad propoſitum quæſitum pro mediis recipi poſſunt, modo de homine uniuerſaliter prædicentur, aut tanquam genus, aut tamquam aliquod aliud ex ſuperius enumeratis, aut tamquam conſequens ea, quæ de ipſo prædicantur, uerum de his paulo poſt, cum de abundantia mediorum agemus, abunde dicturi ſumus, nunc, ut argumenta omnia erigi poſſint, pro uniuerſaliter conſequentibus omnia recipiant̄, & tales cōficiāt̄ ratiocinationes.

A prædicati. Specie

Omne putreſcibile corruptibile eſt.
Omnis homo putreſcibilis eſt.
Ergo omnis homo corruptibilis eſt.

Proprio.

Quicquid agendi facultatem amittere eſt aptum, corruptibile eſt.
Omnis hō agendi facultatē amittere eſt aptus. Ergo
Omnis homo corruptibilis eſt.

Definitione.

Omne aptum tranſire de eſſe ad non eſſe corruptibile ē
Omnis homo eſt aptus tranſire de eſſe ad non eſſe.
Ergo Omnis homo corruptibilis eſt.

Accidente in minus.

Omne, quod eſt aptum uita priuari eſt corruptibile.
Omnis homo eſt aptus uita priuari, Ergo
Omnis homo eſt corruptibilis.

Omne corpus ex contrariis constitutũ est corruptibile. Subiecto æquali.
Omnis homo est corpus ex cõtrariis cõstitutũ, Ergo.
Omnis homo est corruptibilis.
Omne corpus sensibile corruptibile est.
Omnis homo est corpus sensibile, Ergo Subiecto in minus.
Omnis homo corruptibilis est.

Omnia hæc argumẽta sumpta sunt a prædicato eo quo diximus modo, sed nunc dicendum est quibus modis subiecto copulẽtur. Scire igit debemus hæc omnia mediate de homine prædicari, qua propria sũt corporis cõpositi ex contrariis, aut animati, aut animalis, trãsire enĩ de esse ad non esse, si in substantia intelligatur, propriũ est compositi ex contrariis, uita priuari, proprium est eius, quod eam primo habet scilicet animati corporis, mortis uero particeps esse animalis ꝓprium est, & hæc nobis non anxie quærenda, sed supponenda sunt, prædicantur autem de homine propter illud principium supra positum, quod omnia quæ consequuntur aliquem terminum etiam sub ipso contenta consequentur, cum enim de hominis generibus prædicentur, manifestum quod etiam de homine tuto prædicabũtur, quod si prædicto modo dixisse non placet, dicas hæc omnia prædicari qua accidentia in plus, nam accidens, & proprium nobis considerari possunt, pro ut denominatiue dicuntur, & hoc pacto in secunda figura, & aliquando in tertia non est opus subiecto, in aliis uero non sufficit, ut accidentis tantũ naturã respiciamus, sed opus est, ut eam simul cum subiecto recipiamus, nã in maiori ꝓpositione qua dicimus omne putrescibile corruptibile esse

subintelligitur corpus, aut omnino subiectum, quando uero prædicatur putrescibile de homine secundum eandem naturam prædicari debet, alioquin non medium, sed alius omnino nexus fieret, & sic nihil colligeretur, cum non esset ratiocinatio, nos autem, quia eademmet aliquando prædicantur cum subiecto, aliquando sine ipso, ne tractactio confundatur sub capite de accidente, & proprio, non solum qualitates posuimus, sed etiam subiecta ipsas recipientia, ita ut impræsentia nihil differat dicere, homo est putrescibilis, & homo est animal putrescibile, & idem in aliis omnibus intelligatur. His declaratis ut hanc partem circa propositum exemplum absoluamus, uidendum est, quibus modis a subiecto medium uariari possit, supra enim accipiebamus omnia a prædicato nulla subiecti cõsideratione adhibita, nisi, ut de eo mediũ uniuersaliter prædicaretur, nunc uero cõtra omnia subiecto annexa recensenda sunt hoc uno de prædicato inspecto, ut uniuersaliter antecedatur, sit igitur hominis genus animal, definitio, animal rationale, proprium, ridere, acidens in plus, ægrotare, quæ omnia supponantur uniuersaliter aliquo pacto antecedere prædicatũ, & ratiocinationes hunc in modum erigantur.

A subiecti. Genere. Omne animal est corruptibile.
Omnis hõ est animal: igit̃ oĩs hõ corruptibilis est.
Omne animal rationale est corruptibile.

Definitione. Omnis homo est animal rationale. igitur.
Omnis homo corruptibilis est.

Omne animal risus particeps corruptibile est,

Omnis homo est animal risus particeps, igitur. *Proprio.*
Omnis homo corruptibilis est.
Quicquid est aptum ægrotare corruptibile est.
Omnis homo est aptus ægrotare, igitur. *Accidente.*
Omnis homo corruptibilis est. *In plus.*

Quod si quæsiti subiectum esset accidens, aut propriũ aut definitio, tunc subiectum æquale, aut in plus pro medio recipi posset, hoc autem, licet ex parte prædicati sæpæ contingat, ex parte subiecti raro eueniet, quia fere semper quæsita fiunt de substantia, aut de iis, quæ tamquam per se subsistentia recipiuntur, tamen ne etiam hac in parte argumentis destituamur sit quæsitum, an omnis uirtur sit in homine, nos accipiemus subiectum in plus ipsius uirtutis, quod sit exempli gratia anima ratiocinatiua, & hunc in modum arguatur.

Quicquid est in anima ratiocinatiua est in homine *A subiecto in plus.*
Omnis uirtus est in anima ratiocinatiua.
Ergo omnis uirtus est in homine.

Aequalis autem seu proprii subiecti exemplum sit anima ad discursũ relata, ita ut talis ratiocinatio fieri possit.
Quicquid est in anima ratiocinatiua est in homine, omnis discurrendi facultas est in anima ratiocinatiua igiť omnis discurrendi facultas est in homine. *Subiecto æquali.*

Illud uero non lateat passiones de suis subiectis nũquã in recto uniuoce prædicari, sed denominatiue tantum, similiterq; subiiciũtur, nõ enim uerum est dicere homo est corruptio, sed corruptibilis, aut corruptionis particeps, neq; etiam corruptio est homo, sed corruptio est accidens hominis. & id quod de omnibus accidentibus di

cimus fere de omnibus causis intelligendum est, cæterũ hæc impræsentia diligenti tractatione prosequi nõ debemus, cum supposita, & præcognita existant, sed potius in memoriam reuocari, ne in conficiendis ratiocinationibus impediamur, & hæc de uniuersali quæsito affirmatiuo sufficiant.

Quo pacto, quæsito uniuersali negatiuo existente, medium inueniatur. Cap. XVI.



VE Madmodũ supra de affirmatiuo quæsito uerba facientes uniuersaliter antecedentia, & consequentia tam subiectum, quam prædicatũ ante oculos posuimus, ita impræsentia de negatiuis facere decreuimus, & eo lubentius, quia in his æque clarum non est, quæ sint antecedentia & consequentia mediata, ut in affirmatiuis. Immediate igitur alterum oppositum una ex quatuor oppositionib9 supra enumeratis uniuersaliter negatiue proprium consequitur oppositum, mediate uero ea consequuntur, quæ prædicatum uniuersaliter antecedunt secundum affirmationem, sit enim oppositio nullum in sesile sesile est, omnia quæ uniuersaliter antecedere possunt sensile secundum affirmationem, negatiue, ac uniuersaliter consequentur insensile.

Quæ autem sint hæc ex dictis obscura esse nõ deberet, tamen, ut sæpius utillima repetantur, dicimus esse sensibilis species, propria, definitiones, accidentia, & subiecta in minus, aut æqualia est enim uerum dicere.

A sensilis.

Nullum insensile uidet, audit & sic de aliis speciebus. Specie
Nullum insensile proprii obiecti receptione uoluptate Proprio.
seu dolore afficitur.
Nullum insensile habet uim recipiendi proprii obiecti Definitione
symulachrum. Accidente in minus.
Nullum insesile albedinem percipit. Subiecto in minus.
Nullum insensibile est homo. subiecto aequali.
Nullum insensibile est animal.

Hoc igitur pacto consequentia mediata reperiuntur, quae diligentius prosecuti sumus, propterea quod (ut paulo post uidebimus) in quaesitis negatiuis nō semper propositionibns immediatis uti licet. Quo pacto autē sub unaquaque praedictarum specierum alia, atq; alia ꝗppemodū in infinitū cōsequētia accipere ualeam9 in iis quae de medii abundātia dicemus, abūde declarabitur: Quod si non consequentia, sed praecurrentia quaereres, ad ea, quae oppositionis subiectum in uniuersum secundum affirmationem antecedunt, respiciendum esset hoc modo.

Nulla planta sensilis est.
Nullum folia amittens est sensile.

Et sic in aliis respiciendum est, licet in praesenti exēplo difficulter reperirentur, cum priuatio ex se talia non recipiat, & rebus nomina imposita non sint, ideo, siquis exemplis commodissime abundare cupit, contraria recipiat, quae sub se multas habeant species, qualia essent continuum, & discretum, uirtus, & uitium, & huiusmodi alia, quomodocunq; autem accipiantur in hoc secundo modo dictum de nullo manifeste conspicitur, quic

quid enim ab aliquo remouet, etiã ab iis, quæ sub ipso continentur secundum affirmationem uniuersaliter remoueri necesse est, in priori uero modo argumentum fieret in secunda figura sic.
Omne uidens sentit.
Nullum insensile sentit, ergo nullum insensile uidet.
Cum igitur syllogismus recte cõcludat, & facile ad dictum de nullo redigatur, nulla alia probatione est opus, qua prædicta antecedere, & consequi secundum prædictum modum ostendamus, sed potius argumentorũ exẽplis difficultas omnis auferenda est. Proponatur igitur ratiocinatione colligendum uniuersale quæsitum negatiuum, quod sit uerbi gratia, nullus homo est planta, hoc, ut dicebamus, in prima, secunda, & quarta dispositione tuto fieri potest, uidendum igitur quo pacto in omnibus colligatur, & primo in prima.
Medium igitur uniuersaliter negatiue maiorem extremitatẽ antecedere debet, quod aliquãdo immediate fieri potest in omnibus oppositionibus, aliquãdo nõ licet, nam omnis propositio negatiuã, & proinde omne quæsitum quatuor modis consistere potest, aut enim terminos oppositos habet puta nullum albũ est nigrum, aut nullum sensile insensile est, aut neutrum adest, ut in proposito quæsito, nullus homo est planta, aut alterum oppositionis membrum ponitur, alterum uero relinquit, & hoc dupliciter, nam aut in subiecti loco conspicitur: ut nullum sensile est planta, aut prædicati, ut nullus homo est insensibilis, in quibus igitur utrunq; oppositum ponitur, opus argumento non est, cum ex se manifestũ

sit, &

ſit, & a nemine ſanæ mentis quæratur, ſiquis tamen ipſum probare uellet immediatis propoſitionibus, præterquam in contradictoriis, quibus omnia immediate concluduntur, id facere non liceret, ſed nihilominus argumenta fieri poſſent, ex iis, quæ poſtea ad immediata reducerent, ſimiliter quando neutrum ex oppoſitis ponitur per immediata arguere non licet, nihil tamen prohibet, quin factis proſyllogiſmis, ad immediata reducantur, ut impropoſito quæſito nullus homo eſt plāta, poſſumus accipere pro medio ſenſile ſic.

Nullum ſenſile eſt planta.
Omnis homo ſenſilis eſt.
Ergo nullus homo eſt planta.

Deinde immediatam accipere oppoſitionem hoc modo

Nullum ſenſile eſt inſenſile.
Omnis homo ſenſilis eſt, ergo nullus hō inſenſilis eſt.

Poſtea planta ad inſenſile redigatur ſic.

Quicquid habet in ſe principia nutritionis tantum eſt inſenſile.
Omnis planta habet in ſe principia nutritionis tātum,
Ergo omnis planta eſt inſenſilis.

In quibus uero alterum ex oppoſitis ponitur ſemper oppoſitio immediata poni poteſt, ſit enim quæſitum, nulla uirtus eſt mala, hunc in modum arguere licebit.

Nullum bonum eſt malum.
Omnis uirtus eſt bona, nulla igitur uirtus eſt mala.

Idem faciam quando ſubiectum ſit alterum ex oppoſitis, & non prædicatum, ſed argumentum erit in ſecūda figura, ſit .n. probandū, nullū albū coruū eſſe, arguā ſic.



Quilibet coruus eſt niger.
Nullum album eſt nigrum.
Nullum igitur album coruus eſt.

Acceptis igitur in prima figura uniuerſaliter negatiue antecedentibus maiorem extremitatem, eo pacto, quo dictum eſt ſcilicet mediate aut immediate, huic uni incumbendum, ut minorem extremitatem aliquo ex modis enumeratis uniuerſaliter, ac affirmatiue conſequantur, aut quod idem erit, quo ad ratiocinationem conficiendam, acceptis uniuerſaliter ac affirmatiue conſequentibus minorem extremitatem, quærendum eſt an aliqua oppoſitione immediate, aut mediate ſecundum omnes prædictos modos, a maiori remoueantur, nos autem, ne multitudine exēplorum potius faſtidiū, quam perſpicuitatē dictis afferamus ſupperioribus cōtenti exemplis ad ſecundam figurā tranſibimus. In primo ſecūdæ figuræ modo, in quo maior propoſitio negatiua eſt, nihil mutari debet, quo ad medii nexum cum ambabus extremitatibus ſecundum affirmationem, & negationem, ex eo tamen hanc commoditatē habemus, quod deficientibus maioris extremitatis uniuerſaliter negatiue antecedentibus, iis quæ eodem pacto conſequuntur, commode uti poſſumus, abſq; eo quod conuerſiones facere cogamur, quo pacto autem conſequentia negatiua reperiantur, ſupra dictū eſt, quo fit, ut uno exemplo cōtenti, ad alterum per tranſibimus modum.

Nulla planta ſenſilis eſt.
Omnis homo ſenſilis eſt, nullus igitur homo plāta eſt.

Secundo uero ſecundæ diſpoſitionis modo hoc potiſſi

mum iuuamur quod ex medio minori extremitati uni-
uersaliter repugnante, maiorem uero consequente, con-
clusio tuto inferri potest, supra enim utrobiq; maior p-
posito negatiua requirebatur, & minor affirmatiua, quo
illud incōmodi sequebatur, ut omnia affirmatiue præ-
dicatum consequentia inutilia censerentur, & similiter
omnia, quæ subiecto repugnabāt, nisi .n. factis cōuersio
nibus utilia esse nō poterant. Sit igitur exemplum hu-
iu smodi.

Omnis cygnus est albus.
Nullus coruus est albus.
Nullus igitur coruus cygnus est. Rursus
Omnis cygnus disgregat uisum.
Nullus coruus disgregat uisum, nullus igitur coruus
cygnus est.

Quartæ figuræ modus, quo uniuersalis negatiua con-
clusio colligitur, ad hoc maxime confert, quod conse-
quentibus negatiue minorem extremitatem destituti
antecedentibus eodem pacto negatiue uti possumus
absq; eo quod conuersiones facere cogamur. Quod cō
modū si nullius momēti censeretur, nō esset opus, ut qua
tuor figuris uteremur, sufficeret .n. prima, qua pfecte oīa
cōcludunt quæsita, sed ab omnibus, si non omnes saltē
plures recipiuntur, est igitur alicuius momen ti posse
omnibus antecedentibus, & consequentibur per se uti
absq; eo, quod præmissarum, aut conclusionum conuer
siones efficere cogamur, sed de his alias, ī præsentia enim
sufficit, ut quo pacto antecedentia, & consequētia reperi
ri possint, ostendamus, quod cum in affirmatiuis, & ne-

gatiuis factum sit nihil aliud nobis relinquitur faciendum, nisi ut exemplis præsentem modum declaremus.
Omne sensile est animal.
Nullum animal est planta, nulla igitur planta sentit.
His de quæsitis uniuersalibus expeditis de particularibus aliquid dicendum est,

Quæsito particulari affirmatiuo existente mediũ reperire. Cap. XVII.



QVINq; in uniuersum modis (ut supra testati sumus) particulare quæsitum affirmatiuũ per se concludere licet, per accidens autem potest addi & sextus, ostẽso enim uniuersali problemate affirmatiuo, etiam particulare, quod in eo potentia continetur, ostensum esse arbitramur, non tamen retro cõmeat; nam probato particulari quæsito, propter hoc ipsius uniuersale ostensum nõ est. Vt igitur, de iis, quæ per se concluduntur aliquid dicamus (de uniuersalis enim probatione supra abunde disseruimus) principium ab eo, qui in prima figura concludit, sumemus, ad quem cæteri omnes sui perficiendi gratia reducuntur: Medio igitur uniuersaliter maiorem extremitatem antecedente, minorem uero particulariter consequente utrobiq; affirmatiue, quæsitum in parte affirmatiuum in prima figura colligitur, supra autem uidimus, quæ sint uniuersaliter antecedentia, & quo pacto prout ad præsentem tractationem pertinet, reperiãtur, relinquitur igitur modo, ut de iis, quæ in parte con-

ſequũtur ſecundum affirmationem, aliquid dicatur, ſũt autem hæc, ſpecies, accidens, & ſubiectum in minus, indiuiduũ enim, & accidẽs, quod uagum appellabamus, ſupra a noſtra tractatione reiecimus, non quia ipſis ſyllogiſmus confici non poſſit, ſed propterea quod magno eſſent nobis impedimẽto, ſemper enim excipi deberent, quando genus, ſpecies, & huiuſmodi alia uniuerſaliter antecedere, ac conſequi dicimus, nam indiuiduũ, & accidens uagum uniuerſaliter antecedere, ac cõſequi nequeunt, ſit igitur quæſitum ratiocinatione colligẽdũ, quoddam animal eſt album, reperiẽdum nobis eſt medium, quod aut ſpecies ſit animalis, aut accidens, aut ſubiectum in minus, quamquam ſubiectum (ſubſtantiæ genere, aut ſpecie exiſtẽte ſubiecto) in quæſito inueniri non poteſt; quærantur igitur reliqua, & ſit ſpecies cygnus, accidẽs in minus ſit ptoprium ipſius cygni, quod (impræſentia accipiatur) ſit optime canere, & argumenta hoc pacto erigantur.

Omnis cygnus eſt albus. — *A ſubiecti Specie.*
Quoddam animal eſt cygnus.
Quoddam igitur animal eſt album.
Omnis auis optime canens eſt alba. — *Accidente in minus.*
Quoddam animal eſt auis optime canens, igitur.
Quoddam animal eſt album.

Et hæc de modo concludendi particulare quæſitum affirmatiuũ in prima figura. In ſecũda uero diſpoſitione, cum nihil affirmatiue concludatur, ad tertiæ figure modos tranſire oportet, in qua propterea quod particulariter tantum inferre licet, & etiam ex maiori particulari

trifariam arguere possumus, aut enim ambabus uniuer salibus, aut maiori uniuersali, minori uero particulari, aut cōtra maiori particulari, minori uero uniuersali, qui bus duo potissimum commoda suscipimus, unum quia consequentibus subiectum destituti, modo antecedētia nota sint, seu concedantur, nihilominus conclusionem inferre possumus, alterum quod deficientibus uniuersa liter antecedentibus prædicatum modo particularia nō desint, quæsitum colligere licet.

Quo pacto autem antecedentia & cōsequentia, uniuer salia & similiter consequentia particularia secundum af firmationem reperiantur, supra exemplis ostensum est, Nunc uidendum est quo pacto antecedentia particula-ria reperiri possint, & sic tractactio de affirmatiuis, utcū que nobis absoluta erit. Antecedūt igitur secundū partē genus, accidens, & subiectum in plus, sit igitur quæsitū, quoddam animal est iustum, & hoc pacto ostendatur.

A prædicati Subiecto in plus. Genere.

Quidam homo est iustus.

Omnis homo est animal, quoddā igiť animal iustū est.

Quoddam studio sum est iustum.

Omne studiosum est aīal, aliquod igiť animal iustū est

Accidente in plus.

Aliquod pace gaudens iustum est.

Quicquid pace gaudet est animal.

Quoddam igitur animal iustum est.

Hoc igitur modo in omnibus antecedētia particularia reperienda sunt, tam quo ad minorem extremitatē spec tat, quam quo ad maiorem, nos autem fastidii fugiendi gratia, omnium omnia exempla ponere non decreui-mus, sed ne alii huius figuræ modi exemplis destituāť,

singulum singulo exemplo prosequemur.
Quicunq; reddit unicuiq; suum est iustus.
Quicunq; reddit unicuiq; suum studiosus est.
Quoddam igitur studiosum iustum est.
Omnes homines natura scire desiderant.
Quidam homines sunt ignari.
Quidam igitur ignari natura scire desiderant.
In quarta uero figura medio uniuersaliter maioré extremitaté ꝯsequéte, aut in parte, minoré uero uniuersaliter antecedéte, particulare quæsitũ inferre licet, hoc modo.
Quicquid rationis est particeps homo est.
Omnis homo est animal, quoddam igitur animal rationis est particeps, rursus. Quoddam mortale est Asinus. Oís asinus est aíal, ergo quoddã aíal est mortale. Huius auté quartæ figuræ beneficio fit ut iis ꝓpositionibus in quibus mediũ maioré extremitaté seu uniuersaliter, seu ꝺm parté affirmatiue cósequit́, per se uti possimus, cum in aliis id facere nó liceret, nã in secũda figura, in qua mediũ de maiori extremitate p̄dicat́, nihil affirmatiue colligebat́. Neq; uero hoc tamq̃ paruũ cómodũ recipiendũ, quia hoc pacto facilius mediũ reperire cótingit. Ideo. n. uniuersale affirmatiuũ difficillime infertur quæsitũ, ꝓpterea quod, cũ sint octo ꝓpositionũ (ut supra diximus) genera, quæ ratióe subiecti & p̄dicati dupplicant́, ita ut sexdecim numero sint, ipsũ nó colligit́, nisi duob⁹, uniuersalibus. s. antecedétibus prædicatũ, & consequétibus subiectum, reliqua uero omnia ipsi tamquam inutilia relinquũt́. Inutilis enim est propositio in qua medium uniuersaliter minorem extremitatem affirmatiue ante-

cedit,nam sic inferri nō potest uniuersale,cum nihil om nino in tertia,in quarta uero affirmatiue colligi nō possit uniuersalis conclusio,nec per cōuersionem ad primā redire licet, cum uniuersalis affirmatiua secundum par tem & non uniuersaliter conuertatur. Eadem de causa aut nihil in secunda figura colligeretur,aut conuersa ꝓpositione maior esset particularis, & non uniuersalis, Quod autem ex particularibus affirmatiuis,aut simpliciter ex negatiuis uniuersale affirmatiuum non concludatur quæsitum,omnibus notum esse arbitror. Particulare autem quæsitum affirmatiuum ideo facilius infertur quia per se omnibus utitur affirmatiuis,exceptis iis quæ uniuersaliter consequunt̄ subiectū, nam hoc fieri non potest nisi in ꝑma figura, at in ea maior semper uniuersalis esse debet,quæ si fuerit,iam nō particularis, sed uniuersalis inferetur conclusio,uerum cum ex probatione uniuersalis particulare ostensum sit,& etiam uniuersalis in particularem conuerti possit,facile asserere possumus omnia propositionum genera affirmatiua, quæ octo numero existunt,ad particularem colligendam cōclusionem affirmatiuam quantum in se est aliquo modo cōferre,at siquis tertiam aut quartam figuram despiceret omnibus per se & immediate uti nō posset,nisi factis conuersionibus ad primam rediret figuram, siquis igitur hoc tanquam leue incommodum spernit non uideo cur etiam secundam,sola seruata prima,abiicere nō debeat in qua omnia concluduntur quæsita,nos uero, maioris commoditatis gratia non solum secundam, & tertiam, sed etiam quartam lubentissime recepimus.

Quæsito

Quæsito particulari negatiuo existente medium inuenire. Cap. XVIII.



VIBVS modis antecedentia & consequentia uniuersalia affirmatiua & negatiua, similiterq; particularia affirmatiua reperiãtur supra diligenter pro uiribus determinauimus, relinquitur igitur modo, ut quo pacto particularia negatiua reperiri possint, aperiamus. Manifestum autem sit, quod non quærimus negatiuas propositiones ad placitum, sed eas, quæ sua natura particulares sunt, nam hæc propositio quidam homo non est lapis ad placitum est, cum ex sua natura uniuersalis sit, hæc autem, quoddã animal non est homo, ad placitũ non est, cum uere uniuersaliter proferri non possit, si igitur quemadmodũ antecedentia, & consequentia uniuersalia negatiua reperiebamus, ita particularia inuenire liceret, quilibet per se iis, quæ supra diximus instructus, facile ea reperire posset, sed res non ita habet, non enim, quæ particulariter antecedũt alicuius oppositionis prædicatũ, necessario ab ipsius oppositionis subiecto, aut ab ipsius antecedentibus, particulariter remouentur, nam sit exempli gratia oppositio, nullum rationale irrationale, uerum est dicere, quoddam animal irrationale, non tamen postea animal secundum partem negatiue consequitur rationale, cum quicquid rationis est particeps animal sit, ideo particulariter negatiue consequentia alio pacto quærenda sunt.

Reperientur autem inspiciẽdo ad ea, quæ particulariter

antecedunt, oppositum secundum affirmationem, subiectum, nam sit hæc oppositio, nullum dulce amarum est, & sub dulci accipiatur aliquod particulariter antecedens puta, quoddam uinum dulce est, iam de uino particulariter negatiue prædicabitur non solum amarum, sed etiam omnia illius antecedẽtia uniuersalia, sit enim ipsius antecedens naturæ inimicũ esse, manifestũ quod uerum erit dicere quoddã uinum naturæ inimicum nõ est, ea igitur, quæ uniuersaliter ab aliquo subiecto remouentur seu immediate, ut calidum a frigido, seu mediate, ut homo ab equo, ignisq; ab aqua, simul cum omnibus suis uniuersaliter antecedentibus particulariter secundum negationem consequuntur antecedẽtia in parte affirmatiua eius, a quo dicimus ipsum uniuersaliter remoueri, quod siquis negaret facile probari posset per dictum de nullo sic.

Nullum album nigrum.

Quoddam animal album est, quoddam igitur animal nigrum non est.

Idemq; fieret si nigri uniuersaliter antecedentia reciperentur, nam etiam uniuersaliter de albo secundum negationem dici possunt, ut nullum album congregat uisum, quoddam animal est album, ergo quoddam animal nõ cõgregat uisũ, & idẽ de aliis oĩbus ĩtelligẽddũ ẽ.

Antecedẽtia autem negatiua particularia eodem pacto reperiuntur, quo uniuersalia supra inueniri diximus, nam uniuersale antecedẽs negatiuũ reperiebaẽ inspiciẽdo ad ea, quæ uniuersaliter antecedunt affirmatiue oppositionis subiectũ, ꝓposita.n.hac oppositione nullũ

ægrum est sanum, facile erat postea dicere, nullum febricitans est sanum, nullum uulneratum, & sic de aliis, ita de particulariter negatiue antecedentibus sentiẽdũ est, nam si quidam homo est æger, manifestum est eum sanum nõ esse & sic in omnibus aliis intelligere oportet. Cæterum pro reperiendis particularibus negatiue antecedentibus, & consequentibus, est alius fortasse lõge facilior, atq; expeditior modus, & ad ratiocinandum utilior minus tamen aptus ad cognitionem immediatorũ, de quo, licet nõnulla supra dixerim9, impræsentia aliquid præcipere expedit, ut quantum fieri potest, hæc pars diligentissime excolatur.

Quæcunq; affirmatiue antecedendi secundum partem solũ uim habent, negatiue etiam particulariter antecedent, alioquin nõ secundum partem tãtum affirmatiue antecedebant, sed in uniuersum, si enim est uerũ dicere quædam ægritudo lætalis est, ita ut uniuersaliter proferri non possit, manifestum quod etiam hæc uera erit quædam ægritudo lætalis non est, alioquin non secũdũ partem solum, sed in uniuersum uerum erat dicere, omnis ægritudo lætalis est, opponitur enim hæc secundum contradictionem illi, ita ut simul falsæ esse non possint. Ex superiorib9 igitur dictis repetamus genus, accidens, & subiectum in plus particulariter affimatiue antecedẽdi facultatẽ habere, ex quo sequit̃, ut eadẽmet etiam negatiue particulariter antecedant, & consequio quodam, ut quicunq; certa methodo ipsa reperire cupit, ad hæc sola respicere debeat, eadem autem ratione particulariter negatiue consequentia reperiet,

nam, quæ particulariter consequendi uim habent solā, eademmet particulariter consequuntur negatiue, sunt autem hæc species, accidens, & subiectum in minus. His de particularium antecedentium, & consequētium negatiue inuentione declaratis, ad modos, quibus particulare quæsitum negatiuum colligere licet, accedēdū est, uerum fastidii fugēdi gratia eos omnes omittemus, qui ex particulari negatiua seu maiori, seu minori propositione non arguunt, nam si dixero esse opus uniuersaliter repugnantibus subiecto, aut predicato, aut secūdum affirmationem antecedentibus, & consequentibus nemini dubium esse debet, quod ad methodum superius traditam propriisq; exemplis declaratam, respiciendum est; quilibet igitur illis commonefactus ex se ipso in septē arguendi modis particulare quæsitū negatiuū inferentibus, materiam reperiet, relinquuntur autem duo modi, particulari negatiua utentes, alter in secūda, alter in tertia figura, de quibus, ne desint exempla, impræsentia nobis agendum est; in secunda igitur dispositione, medio uniuersaliter maiorem extremitatem affirmatiue, minorem uero particulariter negatiue cōsequēte, quæsitum in parte negatiuum colligitur, quo pacto autem uniuersaliter affirmatiue consequentia reperiātur ex iis quæ supra in proprio capite diximus inueniatur, particularia uero consequentia secundum negatione ex iis, quæ modo propriis exemplis declaraturi sumus, sit igitur quæsitum, cui argumento fidem facere uolumus. Quoddam corpus non sentit, hic secundū priorem methodum reperienda est oppositio, aut om-

nino uniuersale negatiuũ,quod sit exempli gratia, nullum insensile uoluptate, aut dolore afficitur, si igitur est uerum dicere, quoddam corpus est insensile manifestum quod uoluptate affici secundum partem corpus negatiue consequetur,ita ut ratiocinatio hunc in modũ erigi possit.

Quicquid sentit uoluptate,& dolore afficitur.

Quoddam corpus uoluptate,& dolore non afficitur.

Quoddam igitur corpus non sentit,

Eodem modo procedendum est in aliis, quæ sensili secundum partem subiici affirmatiue sũt apta,& id quod de uno dicimus de omnibus aliis intelligatur.

Sed lõge,ut dicebamus,facilior erit methodus,si ad ea, quæ particulariter cõsequendi uim,solum habent(hæc enim etiam particulariter negatiue consequuntur) mẽtem adhibeamus. Species igit̃ corporis pro mediis recipi possunt,modo de sensili uniuersaliter secundum affirmationem prædicentur,& similiter accidentia, & subiecta in minus,propositum autem exemplum ab accidẽte in minus sumptum est, a subiecto sumi non potest, cum corpus subiectum non habeat,a specie uero ratiocinatio sic erigetur.

Quicquid sentit est animal.

Quoddam corpus non est animal. Quoddam igitur corpus non sentit, & hæc de iis quæ in secunda figura sufficiant.

In tertia uero dispositione medio maiorem extremitatem particulariter negatiue,minorem uero uniuersaliter affirmatiue antecedente, idem concluditur quæsitũ

ſecundum partem negatiuum, ſit igitur quæſitum ratio cinatione colligendum, quædam ſubſtãtia ſenſilis non ratiocinatur, hunc in modum arguere licebit.

Quoddam animal non ratiocinatur.

A prædicati. Subiecto in plus.

Omne animal eſt ſubſtantia ſenſilis.

Quædam igitur ſubſtantia ſenſilis non ratiocinat.

Aliquod dormiens non ratiocinatur.

Accidente in plus.

Vnumquodq; dormiens ſubſtantia ſenſilis exiſtit.

Ergo quædam ſubſtantia ſenſilis non ratiocinatur.

Quoddam cognoſces non ratiocinatur.

Genere.

Omne cognoſcens ſubſtantia ſenſilis eſt.

Quædam igitur ſubſtantia ſenſilis nõ ratiocinatur.

In prima, & quarta figura nihil omnino ex particulari negatiua colligitur, in ſecunda uero & tertia, præterquam in duobus impreſentia declaratis modis, aliquid neceſſario colligi non poteſt, quo fit, ut particularia negatiue conſequentia, niſi in ſecunda figura deſeruire non poſſint, ſimiliq; modo antecedentia quærenda non ſunt iis, qui tertia figura aliquid colligere nolunt.

Quo pacto medium in illis propoſitionibus, in quibus prædicatum non exprimitur, reperire contingat. Cap. XIX.



VCVSQVE ea proſecuti ſumus quæſita, in quibus tam ſubiectum, quam prædicatum, manifeſto conſpicitur, quæ plurimũ ad omnium ſcientiarum conſtitutionem cõferre uidentur, & ſæpiſſime in omnium ore

uersantur, impræsentia uero reliqua prosequēda, & præcipue ea, in quibus prædicatum non exprimitur, aut fortasse omnino non adest, nam hæc propositio, seu quæsitum, homo currit, facile hoc pacto resoluitur homo est currens, & sic commode reperiri possunt ex iis, quæ supra diximus antecedentia, & consequentia secundum omnes differētias, sed in quæsito de aliqua re an sit, hoc fieri non posse uidetur, nisi hoc pacto resoluatur, homo est ens, quod si fiat manifestum, quod ex iis, quæ anexa sunt enti, & homini, ratiocinationem conficere possumus, nam ex antecedentibus ens, & consequentibus hominem (ut supra uidimus) talem conclusionē in prima figura colligere licet, aut contra, & hoc in quarta, rursus ex antecedentibus utrunq; & hoc in tertia, ex quo facile inferre licet tunc alicuius ex parte ipsius quod sit cognitionem haberi, quando aliquod ipsius antecedens, aut consequens, seu uniuersale seu particulare cognoscimus, ex parte uero entis, licet genera, & definitiones non reperiantur, possunt tamen fortasse propria & ipsius accidētia in minus reperiri, sit enim exempli gratia entis proprium, unum, bonum, aliquid, res, manifestum quod hoc pacto utrinq; secundū dictam paulo ante methodū procedere poterimus, sicui uero propostitionem resoluere non placet omnia ex parte subiecti recipere debet puta genera, definitiones, & propria ipsius, & huiusmodi reliqua, quæ si esse concedantur necessario etiam ea quorum sunt genera, & definitiones, esse ostendentur, utroq; autē modo maxima est latitudo ad ꝓbādū aliquid esse, eo quod ens cōissimum existēs simpliciter

de omnibus rebus p̄dicatur, & non queadmodum decē genera de quibusdam tantum, siquis uero ens esse nomen æquiuocum, seu ad unum putet, & proinde distinguendum prius censeat, quo pacto de re proposita quærat esse, an silicet ut substantia, an ut accidens, & si ut accidens, an ut quantitas, aut qualitas, aut aliquod aliud ex decem prædicamentis, nos non modo non impedimus, sed hoc pacto procedentes magis laudamus, utpote qui, ablata nominum obscuritate, commodius ad rei cognitionem perueniāt, uerum, ne tot distinctiones adhibere cogamur, liceat etiā nobis methodo superius tradita impræsentia procedere.

Sed longe maiorem, iudicio meo difficultatem præbet medii inuentio, quo aliquid non esse cōcludimus, puta uacuum non est, chymera non est & cætera generis eiusdem, non enim sequitur cæcum est, ergo non est, sed solum non uidet, & multo minus est uerum dicere, si albū est, nigrum non est, nam licet contrariorum alterum expellat alterum, neq; simul in eodem subiecto unquam reperiantur, non tamen propter hoc unum contrarium potest alterum ita destruere, ut uere dicatur omnino nō ens, rursus adhuc minime inferre licet seruus est, ergo non est dominus, cum alioquin contra arguamus seruus est, ergo & dominus, cui seruit, alioquin ne seruus quidem esset, in iis uero, quæ secundum affirmationem & negationem opponuntur, in aliis quæsitis, tā ex iis, quæ remouentur a prædicato, quam ex iis, quæ remouentur a subiecto secundum hanc oppositionem argumentū fieri poterat, in his uero a subiecto remota nullo

pacto

pacto deseruire possunt, non enim sequitur homo est, ergo non homo non est simpliciter, sed hoc tantũ pacto non homo non est homo, quo fit ut sola oppositione ex parte prædicati sumpta, aut eorum, quæ ipsum ens uniuersaliter secundum affirmationem consequuntur, tale quæsitum colligi possit exempli gratia.

Nullum non ens est.

Chymera est non ens, chymera igitur non est.

Quod autem chymera sit non ens, per imaginariam nõ entis definitionem, proprium & huiusmodi alia inferre licet, nam ut bonum cõsequitur ens, ita malum nõ ens, & ut ens aut subsistit per se, aut per aliud, ita non ens non subsistit neq; per se, neq; per aliud, & idem intelligẽdum est de aliis, quæ de ente prædicantur; possumus etiam ex parte subiecti ostendere aliquid esse non ens nam cuius definitio est non ens, aut cuius propriũ, aut omnino aliquod uniuersaliter consequens, manifestum quod etiam ipsum erit non ens, sit enim propriũ chymere flammam euomere, & nihil tale reperiatur, manifestũ quod etiam chymera erit non ens, cæterum nimis fortasse multa de his dicta sunt, ideo ad reliqua pergẽdũ est.

De medii abundantia ad propositum quæsitum Cap. XX.



HIS expeditis de medii abundantia aliquid dicendũ est, ad eundem enim artificem spectat, unum & multa eiusdẽ generis declarare, siquis enim lucrãdi artem traderet, ingẽtes

etiam acquirendi diuitias methodum instituere deberet, alioquin diminutus artifex censeretur, quod uitium, ne nobis in re omni lucro nobiliori, attribuatur pro uiribus cauendum est. Vtilis autem erit hæc consideratio potissimum ad duo, nam quæsito conclusu difficili existente, hac uia ad omnia commodissime respicere poterimus, ne turpiter propositiones in animo ociosas gerentes medio ab ipsis elici apto destituamur, præterea iis, qui paucis rationibus non acquiescunt, argumentorum multitudine commode satisfacere ualebimus, licet quæsitum conclusu perdifficile uideatur. Medium autem ad unum tantum respiciendo, ut supra diximus, inueniri non potest, sed necesse est ipsius cum ambabus extremitatibus aptam reperire iuncturã, eo modo, quo paulo ante uidimus, Quicunq; igitur multis utrinq; abundandi connexionibus methodum adeptus fuerit, mediorũ copiam habere facile existimabitur, medii autem cum altera extremitate nexus, nihil aliud est, ut supra uidimus, quam propositio quædam, quapropter idem erit medii abundantiam quærere, & ipsius cum ambabus extremitatibus seiunctim multos nexus indagare, seu de propositionum copia methodum instituere, quomodocunq; autem dicamus, duobus in uniuersum modis hoc fieri poterit, aut secundum antecedentium, & consequentium longitudinem procedendo, aut eisdem in latus deflectẽdo, uoco autem secundum longitudinem antecedentia, & consequentia generis genus, aut subiecti subiectum, & cætera generis eiusdem secundum rectam line-

am prædicamẽtalem ſubordinata. Quibus utimur, ut medium cum maiori aut minori extremitate iungatur, quatenus ad propoſitum concludendum indigemus. Sit enim quæſitum, omnis linea diuiſilis eſt in partes numero incompræhenſibiles, hoc probabitur lineæ genere ſecundum methodum ſuperius traditam ſic.

Omnis longitudo in partes infinitas diuidi poteſt.

Omnis linea longitudo eſt.

Omnis igitur linea apta erit in portiones numero incõ præhenſibiles diuidi.

Rurſus hoc idem generis genere ſm longitudinem procedẽdo inferre licebit hoc modo.

Omnis magnitudo infinities ſecari poteſt.

Omnis linea magnitudo eſt.

Omnis igitur linea infinities ſectioni ſubici poterit, quod ſi magnitudinis genus reperiretur, eo, & aliis omnibus uſque ad ſupremum ſecundum longitudinem procedendo uti liceret, in latus uero deflectere appellamus, quando non una tantum ſpecie, definitione, accidente, & reliquis ad aliquid inferendum utimur, ſed pluribus, non tamen ſecundum ſub, & ſupra ordinatis, proponatur enim ratocinatione colligendum, quoddam animal reſpirare hoc pacto ſimpliciter argumentari licebit.

Omnis homo reſpirat.

Omnis homo eſt animal.

Quoddam igitur animal reſpirat, ſecundum latitudinem uero ſpecierum tale medium recipi poterit.

Omnis equus respirat.
Omnis equus est animal. Quoddam igitur animal respirat. Rursus omnis bos, leo & sic de reliquis, ita ut quot reperiuntur species, tot numero argumenta fieri possint, & id quod de generibus, & speciebus secundũ longitudinem, & latitudinem dictum est, de accidentibus, subiectis, & aliis omnibus intelligatur, ut igitur hanc partem pro uiribus absoluamus, prius de iis, quæ secundum longitudinem, deinde de iis, quæ secundum latitudinem reperiuntur media, uerba facturi sumus, utrunq; ipsorum per omnia consequẽtia & antecedẽtia affirmatiua, deinde etiam per negatiua deducentes, sic enim fortasse nihil, quod ad ratiocinationem conferat, intactum relinquemus.

De medii abundantia secundum longitudinem. Cap. XXI.



CON sequuntur uniuersaliter subiectũ, seu quæsiti prædicatum, ut supra sæpæ dictum est, genus, definitio, proprium, accidens in plus, & subiectum conuertibile, & in plus quapropter siquis generis genere usq; ad supremũ, ut antea diximus, utatur, cõmode, quo ad ipsum spectat, mediis abundabit, in proprio uero, definitione, & accidente in plus non ita clarum est, quo pacto procedẽdũ sit, non enim fortasse definitionis est definitio, aut proprium, quod siquis id pertinacius assereret, pauca certe sunt, quæ omnino insuauem parerent disci-

plinam, ideo potius dicendum censeo superiorum generum propria, & definitiones, similiterq; accidentia in plus, si ad subiecti propria, definitiones, & accidentia referantur, processum secundum longitudinem efficere exempli gratia sit nobis in animo concludere, omnem tertianam lædere actiones consuetas, hoc probari simpliciter poterit ipsius genere proprio, definitione & accidente in plus hunc in modum.

Omnis febris lædit actiones consuetas. *A Subiecti.*

Tertiana omnis febris est, quælibet igitur tertiana lædit actiones consuetas. *Genere.*

Oís affectus affligés de tertio in tertiũ lædit actiones. *Proprio.*

Omnis tertiana est huiusmodi. omnis igitur tertiana actiones lædit. *Defintione.*

Omnis febris ortum habens ex putredine bilis flauæ lædit actiones.

Omnis tertiana est huiusmodi, omnis igitur tertiana lædit actiones. *Accidente in plus.*

Quicquid sitim ualidam infert actiones uitiat.

Omnis tertiana sitim intensam infert, omnis igitur tertiana actiones lædit. A subiecto æquali, & in plus exempla a quæsiti subiecto uix reperiri possunt, sed commode a prædicato, ideo his quæ ad subiectum pertinẽt, ſm longitudinẽ absolutis, quædam etiam de prædicato dicemus. Propositis exemplis simpliciter ostensum est omnem tertianam actiones cõsuetas lædere: impræsentia uero argumenta secundum longitudinem ab unoquoq; ipsorum petenda sunt, eo quo diximus modo accipiendo silicet generis genus, definitionem, proprium,

& accidentia in plus, sit igitur febris genus intemperies, definitio incommensuratio primarum qualitatum in partibus similaribus, proprium offendere facultates naturales, accidens in plus corpori molestiam afferre, his suppositis hunc in modum arguere licebit.

A Subiecti Generis genere.

Omnis intemperies actiones uitiat consuetas.
Tertiana oĩs intẽperies est, tertiana igit᷑ actiones uitiat.

Definitionis definitione

Omnis excessus, seu incommensuratio primarum qualitatum in partibus similaribus actiones laedit, tertiana est huiusmodi, ergo actiones laedit.

Accidentis accidente.

Quicquid offendit facultates naturales actiones laedit.
Omnis tertiana est huiusmodi, ergo actiones laedit.
Quicquid corpori molestiam notatu dignam affert actiones laedit.
Tertiana omnis huiusmodi est, quaelibet igitur tertiana actiones uitiat, hoc igitur modo in omnibus procedendum esse arbitramur, nõ solum in subiecto annexis sed etiam in iis, quae ad praedicatũ spectant, quorum exempla fastidii fugendi gratia ponere non decreuimus, nisi in iis, quae ad subiecti longitudinẽ spectãt ꝑpterea quod ipsorũ nulla mentio nobis facta est in illis, quae de subiecto diximus, sit igitur ratiocinatione ostendẽdum omnẽ hominem ex contrariis constare, hic accipere possumus pro medio subiectum aequale, & in minus inter ea, quae praedicato annexa sunt, sed si subiectum aequale recipiatur, manifestum, quod processus secundum longitudinem aufertur, ideo ad hoc, ut secundum longitudinem in subiectis arguere liceat, necesse est, ut accipiamus, ea, quae inter subiectum aequale, & id quod minimi ambi-

tus est,reperiuntur,ut in proposito exemplo sit subiectum æquale,sublunare,sub quo sit animatum,& sub eo sensile, sub quo homo reperitur, siquis probare cupit, hominem ex contrariis simpliciter constare, quodlibet propositorũ assumere potest,sed,si sublunare recipiať, non licebit postea subiecti subiectum secundum longitudinem recipere,at, siquis primo animal recipiat tamquam prædicati subiectum in minus,deinde animatum tanquam subiecti subiectum,manifestus erit processus secundum longitudinem in ipsis,ut autem hoc exemplis ostẽdatur hũc in modũ ratiocinationes cõficiam9.
Omne animal ex contraiis constitutum est.
Omnis homo animal est, omnis igitur homo ex contrariis ꝯstitutus est.Omne animatũ ex cõtrariis cõstat.
Oĩs homo aĩatus est,oĩs igitur homo ex cõtrariis cõstat.
Omnẽ sublunare ex contrariis confectum est.
Oĩs homo sublunaris est,oĩs igiť homo ex cõtrariis cõstat,cum igiť sublunare subiectũ æquale esse supposuerimus manifestũ,quod ipsius subiectũ accipere nõ licet.
His de prædicato uisis reliqua, ne fastidio legentes afficiamus,ut supra promisimus,apponere nõ decreuimus licebit tamen unicuiq; ea,quæ de subiecto diximus,inspicienti prædicato proportione respõdentia inuenire, proprium igitur generis,& proprium eius, cuius est genus, secundum longitudinem posita esse dicantur,similiter definitiones,& accidentia in plus.quo clarum unicuiq; esse debet eum , qui talia secundum longitudinem reperire cupit, prius subiecti genus reperire oportere, deinde ipsius propria, & definitiones, quibus

inuentis,processus secundum longitudinẽ in ipsis perspicuus erit,definitio tamen materialis uidetur processum proprium habere absq; eo,quod ad genera respiciamus,nam,si dixeris hominem ex carnibus,& ossibus cõstare,rursus carnes,& osse ex quatuor humoribus.quatuor uero humores ex quatuor elemẽtis,&sic deinceps, manifestum, quod longitudinem in his reperire possumus absq; eo,quod ad genera respiciamus,& idem in accidẽtis subiecto euenit,nã risus est in homine, animali corpore,& substantia ita,ut sit uerum dicere, quicquid ridet est homo,animal,corpus,seu substantia, & hoc fortasse absq; eo, quod respiciamus ad subecti subiectum, quomodocunq; autem procedamus, dummodo omnia uniuersaliter consequentia reperiamus,nihil refert, qui nimmo,si ea, quæ de subiecto dicta sunt,non ad longitudinem,sed ad latitudinem referre uelles,ita ut subiectorum quædam essent in plus, quædam in minus,nos dũmodo aliquid,quod pro ratiocinationismedio accipi posset,non omitteretur,nullo pacto impediremus,omnia autem reperiemus in his, quæ ad longitudinẽ spectãt,si usq; ad prima sermonem protraxerimus, nam, si genera non procedunt in infinitum,manifestum, quod neq; ꝓpria neq; definitiones, neq; accidẽtia, quod autẽ nõ procedãt,a metaphysico potius supponendũ,quam nobis impræsentia probandum,aut saltem hoc alio cõmodiori in loco reseruetur,& hæc de iis,quæ uniuersaliter consequũtur dicta sufficiant, nunc de particulariter consequentibus aliquid dicendum est,

Consequuntur autem in parte species accidens,& subiectum

iectum in minus, quapropter si species genericam habeat naturam, ita ut de aliis specie differentibus prædicari possit, ipsius species usq; ad ultimas omnes particulariter consequẽt genus, esto enim exempli gratia probare libeat, quoddam corpus nutriri, a specie quadam corporis sic arguere licebit.

Omne animatum nutritur.

Omne animatum corpus est.

Quoddam igitur corpus nutritur. Rursus id ipsum a speciei speciebus hoc pacto probare continget.

Omne animal nutritur.

Omne animal corpus est. Quoddam igitur corpus nutritur. Et simili modo de aliis censendum est usq; ad ultimas, & quicquid de specie dicimus, de subiecto, & accidente in minus intelligatur, nam si mortis subiectum in minus est bipes, ita ut tuto proferre liceat quoddam mortis particeps bipes est, licebit hominem, coruum, & alias bipedis species eidem attribuere, rursus si quidam homo scientiæ particeps existit, & geometria, medicina, prospectiua, & reliquæ omnes particularium cognitiones, scientiæ sint, cui dubium, quod uere proferre licebit quendam hominem medicum esse, geometramq; & idem de omnibus aliis intelligere oportet, uerum hæc ad latitudinem, & non ad longitudinem quoquo modo pertinere uidentur, quo pacto autem inter se seiungantur facile dignoscere poterit qui utriusq; naturæ diuersitatem agnouerit. Dictorum igitur summa sit, quod proportione uniuersaliter consequentibus particularia respondent; nisi quod in illorum inuentione non ad uniuersa-

liora respiciedum est, sed potius ad particulariora, inter quæ neq; aliquid quod uniuersaliter consequatur secũ dum affirmationem, neq; aliquid, quod secundum ne- gationem prædicetur, aliquo pacto reperiri potest, his expeditis de antecedentibus aliquid dicendum est, quæ licet ex consequentibus intelligi possint, tamen facilioris doctrinæ gratia intacta prætermittere noluimus. Subiiciunt uniuersaliter species, ꝓpriũ, definitio, accidẽs, & subiectũ æquale, & in minus, quod si species, aut subiectũ in minus alias species habuerint, oẽs uniuersaliter subiicientur, seu antecedent, similiterq; ipsorũ propria, definitiones, accidentia secundum lõgitudinẽ reperientur, si definiti definitiones, accidentia, & propria reperiantur, ut enim in iis, quæ ad superiora tẽdũt ex generis consideratione fere omnia reperiebantur, ita tendentibus deorsum species inspiciendæ, & usq; ad ultimas diuidendæ, proprietates, definitiones, & accidẽtia secundum longitudinem recensenda sunt, ut autem exemplis res aperiatur, antecedat uniuersaliter intemperiem febris, sitq; ipsius definitio calor præter naturã in corde accensus, proprium augere actiones quãsdam naturales, ita ut plus iusto agant, accidẽs in minus rigorẽ acute pũgitiuum excitare, rursus sit ipsius febris species quartana, cuius definitio superaddat febris definitioni, ex atræ bilis putredine prouenire, proprium autem sit inuadere de quarto in quartum, accidens in minus rigorem obtuse pungentem inducere hic nulli dubium esse debet, quod intemperies de omnibus prædictis aliquo modo prædicabitur, & nos, deficientibus uniuersa

liter antecedentibus, non solum febrem & ipsius defi-nitiones accipere debemus, sed etiam definitionis defi-nitiones, & accidentium, propriorumq; accidentia, & propria, ita ut definitionis defintio secundum longi-tudinem duobus modis intelligi possit uel superio-rum, uel inferiorũ respectu, uerum superiorũ processus a genere, inferiorum a specie sumendus est, & idem in-telligatur de proprio, & accidentibus, syllogismos au-tem non conficimus fastidi fugẽdi gratia; licebit tamen unicuiq; iis, quæ supra diximus, excitato, ipsos inuẽire. Particulariter uero antecedentia sunt genus, accidens, & subiectum in plus, quorum, si genera accipiantur, aut ipsorum definitiones, propria, & reliqua uniuersaliter consequẽtia toties repetita, semper particulariter antece dentia habebimus, nam si uirtus antecedit secundum partem liberalitatem, ita ut sit uerum dicere quædam uirtus liberalitas est, licebit etiam asserere aliquẽ habi-tum liberalitatem esse, & rursus aliquam qualitatem, & hoc idem intelligatur de aliis omnibus, & hæc quoquo modo proportione respondent particulariter consequẽ tibus, nam quemadmodum ipsorum longitudo repe-riebatur inspiciendo ad ea, quæ continebantur in conse quente, ita hic particulariter antecedentia reperire licet ex iis, quæ subiiciuntur uniuersaliter antecedenti, & de niq;, ut in uniuersum dicamus, in uniuersaliter cõsequẽ tibus, & particulariter antecedentibus ad superiora, & continentia respiciendum est ei, qui longitudinem in ipsis reperire cupit, pro uniuersaliter uero antecedenti-bus, & particulariter consequentibus non ad ea, quæ cõ

tinent, sed ad contenta, & magis particularia respicere oportet, sic enim principium de omni, & esse in toto diligenter seruabimus, & hæc de medii abundantia secũdũ ante cedentium, & consequentium affirmatiuorum longitudinem dicta sufficiãt, nunc de negatiuis aliquid dicendum est.

Ex iis, quæ supra de negatiuarum propositionum inuẽtione diximus, facile quilibet antecedentia, & consequẽtia secundum longitudinem reperire posset, & proinde mediis, seu negatiuis iuncturis abundare, cæterum ne hæc prorsus intacta relinquantur, aliquid de ipsis dicẽdum est. Prius igitur oppositio reperiatur, quæ sit exempli gratia nullum sensile insensile est, deinde prædicati uniuersaliter affimatiue antecedentia secundum lõgitudinem reperiãtur eo, quo paulo ante uidimus, modo, & sic subiecti uniuersaliter negatiue consequentia inuenientur, uerbi gratia insensilis species, seu uniuersaliter antecedens est planta, quæ absq; dubio uniuersaliter negatiue consequitur sensile, rursus sit plãtæ species arbor, & arboris ficus, etiam ipsæ uniuersaliter negatiue consequentur sensile, est enim uerum dicere, nulla arbor sentit, & etiam contra nihil, quod sentiat, arbor est, seu ficus, & idem de aliis usq; ad ultima intelligendum est, & id, quod dicimus de insesilis speciebus, de ꝓpriis, & definitionibus, & aliis uniuersaliter ipsas species consequentibus secundum ipsorum longitudinem sentire oportet, quo pacto autem ipsorum lõgitudo sursum, & deorsũ uersus reperiatur, paulo ante tradidim9.

Quicunq; uero antecedentium uniuersaliter negatiuo

rum longitudinem quærit, subiecti species diligenter inuestiget, & specierum species, definitiones, & reliqua alia omnia uniuersaliter secundum affirmationem antecedentia, quæ si ad prædicatum in oppositione conferãtur, antecedentia uniuersalia negatiua euadent, quo pacto autem hæc reperiri certa methodo possint supra abunde declaratum esse existimamus, & hæc de uniuersaliter antecedentibus, & consequentibus secundum negationem, pro quorum inuentione secundum longitudinem antecedentia sola, & ea, quæ cõtinentur sub prædicato uel subiecto inspicienda sunt, nam in consequẽtibus periculum esset, ne ea reperiremus, quæ affirmatiue, & non negatiue antecederẽt, ac consequerentur, in antecedentibus uero nihil tale contingere potest.

Particulariter uero antecedentia reperientur, si ad oppositionis subiectum respiciatur, & ipsius particulariter affirmatiue antecedentia inueniantur, nam ad oppositionis prædicatum relata negatiue secundum partem subiicientur, quo pacto autem hæc reperiri debeant supra traditum est, nunc uero exemplis res illustretur, sit oppositio nullum rationale irrationale est, animal secũdum partem rationale antecedit affirmatiue, ad irrationale uero collatũ negatiue in parte antecedit, est enim uerum dicere quoddam animal irrationale non est, rursus liberalitas auaritia non est, habitus quidam liberalitas est, aliquis igitur habitus auaritia non est, & idem de aliis intelligatur.

Particulariter uero consequentia facile reperientur si ad hæc particulariter affirmatiua antecedentia referãt,

uniuersaliter prædicatum secūdū affirmationē antecedentia, puta species, & reliqua supra multoties repetita quæ quo pacto reperiri debeant, supra abunde docuimus, exempli gratia sit irrationalis species (ut in exemplo supra posito maneamus) auis, hæc absq; dubio particulariter negatiue consequetur animal, quod irrationali secundum partem negatiue subiiciebatur, est enim uerum dicere quoddam animal auis non est, quod si aquila sit ipsius auis species, absq; dubio etiam ipsa particulariter negatiue consequetur animal, & idē de aliis omnibus censere oportet. Est & alius reperiēdi particulariter negatiue antecedentia, & consequentia modus, nam genus, accidēs, & subiectum in plus particulariter negatiue antecedunt, quorum si quis secundum longitudinem antecedentia uniuersalitet affirmatiue receperit, quæ ex dictis facile inueniri possunt, & ad sua comparata retulerit, hoc est ad speciem, & reliqua secundū partem negatiue consequentia, tuto semper antecedentia secundum partem negatiua habebit, quod si uniuersalia antecedentia affirmatiua inquisierit, & ad subiectum contulerit, nulli dubium esse debet ipsum particulariter negatiua consequentia reperturum, horum autē exempla ex iis, quæ supra diximus facile recipi possunt, ideo nos, omisso de longitudine sermone, medii abundantiam secundum latitudinem aggredi properabimus.

De medii abundantia secumdum latitudinem. Cap. XXII.



V E Madmodum supra de omnibus antecedentibus & consequentibus secundum longitudinem uerba fecimus, ita impræsentia secundum latitudinem, ne aliquo pacto argumentis destituamur, eadem met inspicere decreuimus; genera igitur plura uno secundum latitudinem, nisi subiectum aliter, atq; aliter consideretur, esse non possunt, hominis enim qua homo genus est animal, qua uero febricitat, ægrum, nos autem in præsenti loco de uno, pro ut unum est, agimus, quapropter simpliciter genus secundum latitudinem locum non habere censendum est. Definitio in latus quadrifariam secũdum quatuor causarũ genera scinditur, quod si cui plures uiderētur causæ, plures definitiones faciat, nos enim supponimus non esse plures, neq; pauciores, & hoc alio in loco probandum relinquimus; similiter, si quis addere cupit definitiones ex duobus, aut pluribus causarum generibus confectas, nos non impedimus sed nobis impræsentia de simplicibus definitionibus dixisse sufficiet Definitione igitur sumpta a forma, materia, efficiente, & fine semper pro definiti uniuersali consequente, aut antecedente uti possumus, exempli gratia homo est animal rationale, homo est animal constans ex carnibus, & ossibus, homo est animal ab alio homine genitum, homo est animal ad felicitatẽ aptus, natusue. In accidētium uero definitionibus, eadem reperiuntur non secũdum existentiam, sed secundum proportionẽ tantũ, nõ enim accidens substat per ꝓpriã formã, & materiã quẽadmodum substantia, sed possumus in eo aliquid repe-

rire quod proportione respondeat formæ, & materiæ, idemq; de reliquis censere oportet, uerum de his impræsentia nobis anxie disquirere non expedit, sed potius hoc pacto se habere supponendum est. Proprium si simpliciter reciperetur, duo tantum significaret propriam silicet subiecti actionem, & propriam passionem, nam, cum quodlibet subiectum ex materia constet, & forma, ac a forma sit aptum aliquid agere, qua unum existit, unum autem, qua unum, non agat nisi unum, manifestum, quod immediate ab uno subiecto non proueniret, nisi una actio, rursus ab una materia, quæ apta est uno modo pati, non potest, qua talis est, nisi una passio procedere, nos tamen differentiam conuertibilem sub capite proprii compræhendimus, & similiter descriptiones, nominumq; interpretatiões, quæ licet ex pluribus in plus accidentibus conflentur, aggregatum tamen ex omnibus conuertitur, & est aptum uniuersaliter antecedere, ac consequi, quemadmodum & reliqua; his autem uti debemus, ueris definitionib9, generibus, & propriis actionibus, & passionibus destituti, uerum de his infra proprio in loco, quando de medii electione uerba facturi sumus, impræsentia uero illud cognouisse sat est, quod secundum latitudinem proprii non solum propriæ actiones, seu qualitates, sed reliqua omnia recipi debent, at siquod subiectũ reperiretur, cui plurima uere propria per se simul inessent, quod nos uix credere possumus, manifestum, quod omnibus uti licebit, eo modo quo dictum est, nos enim in præsenti loco de rebus ipsis decernere nõ decreuimus, sed potius methodum tra-

dere,

dere, qua reperiri, cognosci ue possint, quo fit, ut de illis tantum nobis diligenter tractandum sit, quæ nostrum procedendi modum insigniter labefactare possunt, ea uero, quæ quomodocunq; se habeant parum aut nihil referre possunt, proprio artifici relinquamus.

Accidentia in plus maximam latitudinem habere uidẽtur, eo quod propemodum infinita unicuiq; subiecto assignari possunt, homo enim appetit, dormit, uigilat, sentit, uoluptate, ira, & dolore afficitur, ac innumerabilibus aliis in plus accidentibus præditus esse uidetur, quare, nisi methodo quadam talia coherceantur, uereor ne nostra doctrina insuauis, atq; prorsus inutilis iudicetur, ut igitur pro uiribus quantum rei natura patitur huic parti satisfaciamus sciendum est in plus accidẽtia duobus modis considerari posse uno communi, & sic omnia generis, aut alicuius uniuersalioris prædicati propria, speciei, aut omnino particularioris termini subiecti in plus accidentia uocantur, altero autẽ modo in plus accidentia dicuntur, quæ omni, & si non soli, adueniunt, natura tamen communis cui primo, & per se talia competunt, ignota, & proinde innominata existit, exempli gratia est aliquod fortasse subiectũ, quod per se, hoc est per propriam naturam, diaphanum seu perspicuum est, quod, cum ignoretur, nos nomine destituti tale accidens aeri, & aquæ commune esse dicimus, rursus dulcedo melli in uniuersum, uino uero secundum partem inest, est tamen aliqua natura seu subiectum, qua utrunq; dulcedine præditum est, nos tamen ipsam ignorantes mellis dulcedinem accidens in plus uocamus, si-

quis igitur omnium accidentium causas, atq; propria subiecta agnosceret nullum accidens fortasse in plus reperirent, sed omnia essent propria, & nobis nihil aliud inspiciendum foret, nisi quot unumquodq; subiectum potentia formas, atq; materias specie diuersas contineret, nam quemadmodum in quadrangulo est actu propria passio silicet habere quatuor angulos æquales quatuor rectis, potētia uero trianguli passio ipsi inest, quoniam, & ipsum potentia continet, ita homo ridet tanquā propriam actionem exercens, sentit uero, & nutritur nō tanquam simpliciter homo, sed ueluti animal & principii uegetandi particeps, & idem in aliis euenire cēsendū est, ut enim quadrangulum est figura quasi duobus cōstans triangulis, ita in rebus naturalibus species, cū componantur ex generibus, & differentiis, habent omnia, quæ generis sunt, & insuper id, quod propria ipsis natura tribuit, In his tamen diligenter aduertēdum est, ut accidentia, quæ omnibus sub ea nutura contentis insunt, recipiantur, & non quæ ipsum diuidere possunt, nam animal diuiditur per aquatile, & uolatile homo uero sic diuidi non potest, at si diligenter proprii naturam considerauerimus, talis diuisio animalis proprium dici non debet, cum non competat omnibus sub animali contētis, in illis igitur accidētibus, quæ generis aut omnino uniuersalioris termini propria sunt, facile certus numerus reperiri pōt aut saltē oīno desperādum nō est, nam prædicata non augentur in immensum secundum longitudinē, ita ut uereri debeamus nimiam multitudinē, in illis uero, in quibus ob rei difficultatem, atq; obscuri

tatem id fieri nõ poteſt, nulla methodus inuenitur, qua propter ad ea quæ temere inſunt diligenter inſpiciẽdũ, & ipſa ſemper ad maxime uniuerſalia reducere oportet, ne numerus in infinitũ excreſcat, quibus poſtea exigẽte uſu ſecundum latitudinem, & longitudinem utendum eſt, ſubiectum æquale, aut in plus nullã latitudinem recipere poteſt, quemadmodum nec genus, non enim ſi ſomnus ineſt animali, ſeu corpori animato tanquã ſubiecto æquali, aut in plus, aliud ſubiecctum ſecũdum latitudinem reperire poſſumus, cui eodem pacto ſomnus inſit, & idem de aliis cenſere oportet, & hæc de uniueſaliter conſequentibus dicta ſufficiant. Particulariter autẽ conſequentia ſunt ſpecies, accidens, & ſubiectum in minus: de ſpeciebus autem exemplum ſupra poſuimus, nunc uero methodus tradenda eſſet, qua infinitæ exempli gratia animalium, & plantarum ſpecies certa methodo reperiantur, ita ut multas omittere non contingat, hoc autem quia partitionis, ſeu enumerationis, ſeu omnino diuiſionis eſt munus, in aliud commodius tempus relinquatur.

Accidentia uero in minus, eodem, quo, quæ in plus dicuntur, cognoſci poterunt modo, proueniunt enim & ipſa aut a certis naturis particularioribus, quarum methodus tradi nõ poteſt, aut a ſubiectis incognitis, & proinde innominatis, & ideo, aut diligentius rerum cauſis opera danda eſt, aut methodus deſperanda, qui igitur rerum cauſas inuenire non poſſunt, ad ſingula generatim reſpiciant, quæ unicuiq; ſubiecto inſunt, exempli gratia homini ineſt tanquam accidens in minus eſſe medicum

geometrã,iuſtum,ſabrum lignarium:aſtrologum,pro-bum Imperatorem,& infinita propemodũ ſimilia,quæ tamẽ certis generibus claudi poſſunt,omnia enim hæc, & alia numero incompræhenſibilia ſub ſcientiæ,aut ar tis,aut uirtutis nomine continentur,& hæc genere ha-bitus, & diſpoſitionis continentur, ideo accidentium genera tenere oportet,ne,ipſis ignoratis, in immenſum abire cogamur,ipſorum tamen ſpeciebus omnibus exi gente uſu diligenter utendum, ſed hoc ad longitudinẽ, & non ad latitudinem ſpectat,ſubiecta in minus latitu dinem quandam habere neceſſe eſt, nam niſi ſubiecta plura reperirentur,non accidentia in plus, ſed propria ea, quæ ipſis inſunt apellarentur,contigere tamen po-teſt ut aliquod accidens in plus alicui ſubiecto inſit ſe-cundum totum,alicui uero ſecundum partem,ut dulce do melli ſecundum totum, uino uero ſecundum partẽ ineſt,quo ſit,ut hoc pacto unum tantũ accidens in mi-nus reperiatur,nam ea,quæ uaga appellari diximus,ſu pra a noſtra tractatione reiecimus,licet aliquis ipſo-rum ſit uſus,ſubiecta igitur in minus erũt aer,& aqua, ſi ad perſpicuum comparentur, quo pacto autem ſub-iecta in minus reperiri poſſint,non admodum opero-ſum erit intelligere iis,qui ſuperiora diligenter perce-perunt,nam,aut proprium ſubiectum reperietur,cuius hæc ſpecies erunt,aut,ſi reperiri non poterit,ipſa per ſe enumeranda, & in breuia capita quantum rei natura patitur, redigenda ſunt, nam ſit nutritionis particeps Bos,Leo & huiuſmodi alia, manifeſtum quod hæc om nia uniuerſali ſubiecto comprahendi poſſunt,quod eſt

animal,& rursus animalia,& plantæ in unam naturam redigantur,quousq; subiectum conuertibile reperiatur, aut saltem quantum fieri potest propinquissimum, sic enim facile omnia memoria complecti licebit,& omnibus occasione oblata comode utemur; cæterum nimis fortasse multa de medii abundantia secundum latitudinem in affirmatiuis iuncturis nobis dicta sunt,ideo tẽpus est,ut ea,quæ ad negationẽ pertinẽt, aggrediamur. Ea uniuersaliter negatiue cõsequi superius diceba mus, quæ aut immediate opponebãtur,aut oppositioni sprædicatum uniuersaliter antecedebant,immediate autem repugnabant,aut secundum affirmationem,& negationem, aut secũdum aliquam aliam ex superius quatuor enumeratis,quo fit,ut secundum negationem uniuersaliter,non solum in cõsequentib9, sed etiam antecedentibus imediatis, quadrifariã mediis abundare possimus, nam opposito secundum negationem carentes,contrarietatem,aut priuationem & habitum,aut contradictionem accipiemus,quæ communissima existens nunquã deficiet,& eodem pacto in reliquis procedemus,semper notiores,& ad arguẽdum id,de quo agimus,oppositiones promptiores recipientes,nam proponatur ratiocinatione colligendum,nullum piper frigidum; hic statim contrarietatem accipiemus hoc modo.

Nullum calidum frigidum est. Piper omne calidum est, nullum igitur piper frigidum est; at si quæreretur; an Aristoteles fuerit seruus an nõ,relatio magis deseruiet, hunc in modum,nullus dominus seruus est. Aristoteles dominus fuit, non igitur seruus & idem intelligatur de

aliis, quod si minor propositio probatione egeret, ipsa absq; dubio secundum methodum superius traditam probaretur, sed impræsetia exépli gratia hæc dicta sint; & ad ea, quæ supra diximus, reuertamur. Dicebamus autem uniuersaliter negatiue cōsequentia, aut mediata esse, aut immediata, similiterq; antecedentia, mediata autem reperiri asserebamus inspiciendo ad prædicati, aut subiecti in oppositione antecedentia uniuersalia secundum affirmationem, quo fit, ut siquis antecedentium uniuersaliter affirmatiuorum abundantiam habuerit, facile etiam negatiuis nexibus abundauerit, quo autem pacto illa reperiri possint, supra traditum est, & idem intelligas de antecedentibus, & consequētibus negatiuis secundum partem, nam cum ipsa ex affirmatiuorum cōtemptatione pédeāt, & ipsorū inuentioné supra complexi simus, nihil aliud agédū relinquit́ nisi, ut ꝑ rudioribus exépla in mediū afferamus, sit igitur oppositio, nullū dulce amarū est, sintq; amari species Aloes, &. Absinthiū, nemini dubiū esse puto, quod utraq; uniuersaliter negatiue ipsum dulce consequentur, erit enim uerū dicere nullum dulce Absinthiū, aut Aloes, quod, si dulcis species sint mel, & saccharū, manifestum utrunq; uniuersaliter antecedere aloem, & absinthium. si uero particulariter dulce ipsum antecedentia reperiantur, aut amarum secundum affirmationé, manifestū, quod particularia negatiue antecedentia, & consequenta habebimus, sit .n. aliquod medicamétū dulce, nulli dubiū quod amarū non erit, neq; aloë, aut absinthium. Et hæc de medii abundātia secundū latitudiné dicta sufficiāt.

De medii electione. Cap. XXIII.



VERÉOR, ne in tanta mediorum copia diligẽs ratiocinator potius obruatur, atq; diu hæreat, quodnam potissimum accipere debeat, quam commoditatem aliquam ex dictis accepisse fateatur; ideo ut bonarum artium studiosis pro uiribus hac in parte opem feramus, nonnulla de medii electione dicere decreuimus, ad eundem enim artificem spectat plures agendi modos, & eũ quo tutius, citius, & iocundius ad finem peruenit ostendere, dicet enim exempli gratia medicus febrem curari posse uenæ sectione, medicamento purgante clysteribus, inedia, balneo, & huiusmodi aliis remediis, at nullus alius artifex dicere potest quonam citius, & minori dolore, aut minimo uitæ discrimine morbus auferatur. Ita igitur & logicus, seu ratiocinator inter multa proposita media eligere debet quonam potissimum utendum sit, quærenti enim simpliciter an omnis homo corrumpi debeat per omnia superius tradita media respondere possumus. Quod si quæ fuerit immediata febris causa efficiens quæreretur, aut formalis aut materialis, ex iis, quæ dicemus, manifestum erit electionem ibi locum non habere, cum plura uno media esse non possint. Primo igitur ei, qui media eligere certa methodo cupit, uidendum an unum tantum sit medium an plura, deinde si plura sunt, ipsa cognoscere oportet, nõ enim fieret electio, si unum solum cognosceretur, cætera autem omnia a ratiocinatore ignorarẽtur, præterea

electio,aut ad placitum,aut aliqua ratione impellēte fieri poteſt,ad placitum, quando nulla maior ratio eſt de uno, quam de altero, ut definitio formalis ſubiecti,& paſſionis eodem pacto quantum eſt in ſe probant quæſitum in quo cauſa quæritur,cæterum de hac electione nihil nobis dicendum eſt,cum nec arte tradi,nec aliquis error in ea contingere poſſit.

Relinquitur igitur, ut de ea electione, qua argumento aliquo ad unum potius,quam ad aliud eligendum mouemur, uerba faciamus: Quo pacto autem artificioſe cognoſcere poſſimus duorum ſeu plurum quod nam eligibilius ſit,ſeu melius,aut omnino duorum ſubiectorum cui nam aliquod prædicatum magis inſit,infra diligenter tractabimus,quo fit, ut eruditum lectorem ad eam methodum hortari ſatis nobis eſſe uideatur, uerũ tamen,ut aliquid ex noſtra ſententia dicamus,quo illi, qui non ita exacte arte uti poſſunt aliquo pacto inſtruantur,mediorũ electio duas in partes diſtribuatur, aut enim ex parte docentis,ſeu addiſcentis,aut omnino extrinſeci aliquid eſt quo ad unum potius,quam ad aliud eligendum mouemur:exempli gratia lubētius aliquid docebo diſcipulum per ea,quæ ipſe facile admittit, aut melius cognoſcit, quam per ea, quæ ipſi ſuſpecta ſunt, lubētiuſq; per ea,quæ nobis inuēta ſunt,aut explorata, quam per alia, licet fortaſſe in ſe maiorem euidentiam habēt,rurſus potius per ea,quæ ab omnibus approbantur,quā quæ contrario modo ſe habent,hæc tamen non uſq; adeo ualent,ut falſis mediis potius quam ueris,aut iis,quæ non demonſtrāt iis,quæ demonſtant, utendum

ſit,

sit,nisi in clamosis disputationibus,& cum iis sermo habeatur, qui aut alicui sectæ sunt addicti, aut usq; adeo indifferenter authoritati cedunt, ut optimis rationibus nō acquiescant, & nihil quod hominū authoritate non comprobetur,admittunt,cum ipsis tamen iudicio meo certandum nō est,siquis tamen certare cogitur,ea,quæ ipsi maxime approbant,& non,quæ simpliciter eligibiliora sunt præeligere oportet. Nobis autem, qui non hominibus contentiosis, sed ueritatis inueniendæ studiosis præcepta tradimus,illud ante oculos semper habeatur,ut facilioribus,& notioribus procedamus in iis, quæ pari modo probant,in iis uero, quæ non ita commode quæsito satisfaciunt,iis,quæ magis demonstrant utendum censeo, licet maiori difficultate addiscantur, ignotioribus tamen quæsito nunquam utēdum est,sed potius semper a notis,perceptisq; ad ignota,aut saltem minus certa deuenire oportet,nihil tamen fortasse prohibet,quin ignotis per notiora ostensis aliquando utamur ad ea nobiliori modo ostenda, quæ antea aliquo pacto notiora fuerant,illud tamen principium nunquā mouebitur quo dicimus a notis ad ignota semper deueniendum esse, cæterum de his alias quando de cognitione in uniuersali,aut de alicuius scientiæ toto processu disseremus,nunc enim uni quæsito syllogistico satisfacere cupimus,pro cuius illatione quo pacto medium se habere debeat,abunde notum esse arbitramur.

Sed aliquis,& non imerito dicet,se non quærere medii electionem,quo ad extrinseca,quorum nulla certa methodus tradi potest,sed quo ad ipsorū naturam,ut pluri

bus propositis mediis, quodnam ex ipsis prælige̅dum sit, certa arte cognoscat, ut igitur breuibus huic parti, quantum fieri nobis potest, satisfaciamus, in primis sciendum est, quod necessario annexa iis, quæ sunt ut plurimum, eligibiliora sunt, & inter necessaria ea, quæ magis sunt ei, quod ostendere uolumus, iuncta magis probant, magis autem annexu̅ alicui nihil esse potest quam propria natura a qua habet esse, ideo argumentum a natura eius quod probare uolumus desumptum, magis quam cætera probat, similiter materia, & reliquæ causæ nobiliori modo, quam propria species, & accidentia quæsito satisfaciunt, inter se uero aliquando una, aliquando altera præualet. Ita ut facile nõ sit alicuius præ aliis aliquam præeminentiam ostendere, nisi quis dicat magis ab immediatis, quam a mediatis aliquid ostendi: cæterum hoc commune est non solum causis, seu definitionibus; sed etiam aliis, Rursus magis probant rationes ductæ a propriis, quam illæ, quæ ab accidentibus utcunq; petuntur, illæ uero quæ a speciebus aut generibus magis qua̅ quæ a propriis aut accide̅tibus, nisi propria sint ultimæ differentiæ; sic enim ipsæ omnium maxime probant, & hæc de affirmatiuis dicta sufficiant.
In negatiuis uero magis urget mediu̅, quod oppositionem immediatam habet, quam quod mediatam, & magis, quæ oppositionis alterum terminum obtinet, qua̅, quæ neutrum, inter immediatas uero oppositiones maxime urget simpliciter oppositio secundum affirmationem, & negationem, propterea quod reliquæ omnes ipsi contradictioni innituntur, iis autem, qui intra latitu-

dinem alicuius generis quærunt, magis cõtrarietas, aut priuatio, & habitus, seu relatio, quam negatio ipsa persuadent, sciẽti enim Socratem coloratũ esse magis persuadet album non esse, qui probat esse nigrum, quam qui dicit non esse album; simili modo magis probatur aliquem non uidere ostendendo cæcum esse, quam simplici negatione & idem intelligatur de relatione, nam, qui ostendit Socratem Platonis præceptorem fuisse, magis probat quam, qui pure ostendit ipsius discipulũ non fuisse, simpliciter tamen magis negatio urget, nam ea, quæ nullo pacto in ea latitudine sunt, inibi continẽtur, exempli gratia qui ostendit non esse album, non solum potest sustinere non esse nigrum, sed etiam nullo pacto coloratum esse: intra genus uero res cõtra habet, nam non solum nigrum sed pallidum, flauum, ruffum, & rubrum in negatione continentur, quæ absq; dubio magis albo propinqua sunt, quam nigrum, cum sint ipsius media. Rursus priuatio, & habitus magis quam cõtrarietas, aut saltem simili modo negat, contrarietas uero magis quam relatio, inter ea uero, quæ oppositionẽ immediatam non habent, ea, quæ magis ipsi propinqua sunt media urgentiori modo negant, quam, quæ ualde remota existunt, rursus magis, quæ definitioni, quam quæ accidentibus repugnant, & omnino ea, quæ magis coniunctis se opponunt, quam ea, quæ aliis repugnant, multa alia de electione medii dici possent, & hæc eadẽ exemplis, & rationibus magis illustrari deberent, nos tamen breuitati studentes hæc posuimus, non quia alios socordes esse uelimus, & his nostris acquiescere sed po-

tius, ut ad methodum infra tradendam aliquo modo disponeremus, atq; ad ipsa utẽdum incitaremus; huc usq; igitur dicta omnia sumpta sunt ex parte nexus eorum, quæ probari debent, aliquando uero non hæc sed probandi modum respicimus, optimum enim est aliquid in prima figura colligere, qua cæteræ perficiuntur, deinde ad reliquas eodem pacto respiciendũ. Rursus, quæ probant in uniuersali, quam, quæ in parte, licet quæsitum secundum partem fortasse sit & quæ in accidentibus quærunt an leuiter prædicatum insit, magis probant ostendendo ualide inesse; nam quærẽti an aliquis sit diues, aut doctus, magis probat, qui ostendit ditissimum aut doctissimum esse, quam qui simpliciter ostendit, & idem intelligatur de aliis, quæ magis, & minus recipiunt. In his tamen cauendum est ne quæsitum sit in ipsis tanquam in oppositis, si quis enim exempli gratia quæreret an Socrates sapiẽs fuerit, an oĩum græcorũ sapientissimus, qui unũ sustinet alterũ impugnare debet, sed quærẽti simpliciter, eo quo diximus modo, quæsitũ magis ostẽditur, & minime circa ipsum decipi cõtingit. Et hæc impræsentia de medii electione dicta sufficiant.

Quo pacto in diuersis terminorum combinationibus medium reperire contingat. Cap. XXIIII.



VM supra sex terminis tamquam partib9 componentibus omnes propositiones constare nobis suppositum sit, manifestũ, quod quæsita omnia ex illis necessario conficien-

tur, quodlibet enim quæſitum propoſitio quædam eſt, uerum cum a noſtra tractatione indiuiduum ſupra ab iiecerimus, quinq; tantum termini relinquuntur, quorum quilibet aliis quatuor iungi poteſt, & etiam fortaſſe ſibi ipſi, nam accidentia de accidentibus, & definitiones de definitionibus prædicari fortaſſe poſſunt, ita ut omnes combinationes ſecundum genus aut quadraginta, aut quinquaginta in afirmatiuis reperiãẽ, negatiuæ uero quatuor immediatæ ſolum ſunt, mediatæ uero certum numerum nõ habent, de his igitur omnibus nobis impræſentia agendum eſſet, & oſtendendum quæ media cui quæſito aptari poſſint, & quæ non poſſint, non enim omnia ſuperius tradita omnibus accomodantur, ſed certis certa. Verum nos faſtidii fugiendi gratia, & etiam quoniam ſcribendi ocium non cõceditur, de uno tantum uerba facturi ſumus, quod & maximas difficultates habet, & ad ſcientiarum acquiſitionem, aut ſolum, aut potiſſimum quæritur, hoc autem eſt quando accidens de ſubiecto prædicatur, & impræſentia parum refert an ut proprium, an ut accidens inſit, eadem enim fere eſt ratio, prout ad præſentem tractationem ſpectat. Quo pacto autem tale quæſitum inter cætera cognoſci poſſit, impræſentia nobis intempeſtiue diceretẽ, nam aut, qui de propoſitionibus agunt, aut, qui de quæſitis, hoc oſtendere debent, & nobis cognito quæſito medium reperire tentandum eſt.

Accidentis igitur quæſtiones, aut ſimpliciter conſiderãtur, ut homo mortalis eſt, aut ſecundum reſpectum, ſeu comparationem quandam, ut homo eſt nobilior equo,

in iis igitur in quibus aliquid simpliciter hoc est sine comparatione quæritur, aliquando additur per se, aut per accidens, ut homo per se risilis est, per accidens uero albus, aliquando actus, & potentia, nonnunquam simpliciter, & secundum quid, necessario & fortuito, leniter, aut remisse, & infiniti propemodum alii conside randi modi in quæsitis adiungi possunt, licet illi qui magis in usu sunt, fere omnes enumerati sint. Nos tamen in uniuersali de ipsis uerba facturi sumus, ne particularium tractatione opus in imensum excresceret. Si igitur accidēs absq; aliqua adiectione, aut respectu prædicatur nulla alia methodus expectanda est præter eā, quæ supra tradita est, ea uero, quæ per se inesse probari debent, aut secundum actum, & potētiam, aut omnino per aliquam aliam multiplicem connexionē, quæ absq; comparatione fiat, necesse est, ut illam habeant explicite, aut implicite, explicite uero duobus modis probari possunt, aut easdemmet particulas apponendo, aut nō ipsas sed ipsarum antecedentia, & consequentia requisita, ita ut, quemadmodum extrema ex pluribus confecta esse uidentur, ita etiam media partes habeant, quæ omnium terminorum differentias consequi, ac antecedere ualeant, prout opus est. Rursus hoc idem duobus modis fieri potest in utraq; differentia, nam aut illæ particulæ, seu ipsarum antecedentia, & consequentia in utraq; propositione ponuntur, aut in altera tantum, exēpli gratia.

Quicquid est aptum uita priuari per se mortale est.
Omne animal est aptum uita priuari.

Omne igitur animal per se mortale est.
Hic uerbum per se in maiori propositione tantum positum est, conclusio autem sequitur per se de minori extremitatę, eo quod qualem nexum habet medium cum maiori extremitate, talem impartit minori, uerũ minor extremitas secundum propriam naturam prædicatum non recipit, sed ea ratione, qua ipsius medii pars existit, ideo, si quis uult, ut secũdum se talem naturam recipiat, necesse est, ut medium per se minori extremitati anneccatur, & in illa minori propositione dicendum est, animal secundum se est aptum uita priuari, aliquando uero ex eo, quod minori propositioni aliquid additur, conclusio cum illa adictione sequitur: propterea quod, quẽ admodum subiectum se habet ad medium, ita se habet ad maiorem extremitatem, exempli gratia.
Quicquid albedinem participat, uisum disgregare põt.
Nix maxime albedinem participat, nix igitur maxime uisum disgregare potest. Hæc autẽ fortasse clariori modo proportione ostenderentur, hoc pacto. Quemadmodum nix ad albedinem se habet, ita etiam ad disgregationem uisus, sed nix maxime alba est, ergo nix maxime disgregat, cæterum de ipsa alias, impræsentia uero illud cognitum existat, quod eademmet particula, aut ad subiectum, aut ad prædicatum apposita, aut ad utrunq; commode in quæsitis de accidente factis conclusio colligitur, nam in aliis raro id uerum est non enim si omnis geometra est homo, & aliquis maximus sit geometra, ꝓpterea maximus homo existet, imo neq; in omnibus accidentibus, nam licet omnis uir probus dormire cogatᷣ,

& Cæsar maxime uir probus sit, non tamen sequitur, ut maxime dormire cogatur, dicẽdum igitur hæc solũ. Locum habere in propriis subiectis, & passionibus, aut quod ego potissimum laudarem eademmet particula utriq; extremitati apponatur, Altero autem modo hoc idem probare possumus per methodum superius traditam, hoc est per antecedentia & consequentia requisita ad ostendendum per se, aut secundũ aliquam aliam adiectionem inesse, exempli gratia sit definitio ipsius per se per propriam naturam, & non per aliam inesse, proprium uero, quod ipsum non per alia, & alia per ipsum insint, & sit propositum quæsitum an per se ignis rarefaciat hunc in modum arguere licebit.

Quicquid per propriam naturam, & non per aliam calefacit per se rarefacit.

Ignis per propriam naturam, & non per aliam calefacit.

Ignis igitur per se rarefacit. Et idem intelligatur si proprium pro medio reciperetur hoc modo.

Quicquid aliis est causa ut calefaciant, & nihil est causa ipsius, per se rarefacit.

Ignis est causa aliis, ut calefaciãt, & nihil est causa ipsius.

Ignis igitur per se rarefacit. Si quis igitur hoc modo procedere cupit totam superius traditam methodum huic tractationi accommodare debet, & cum duo probanda sint quod rarefaciat, & quod per se, utriusq; antecedentia, & consequentia requisita recipi debent, quod si alterum notum fuerit alterum probare oportet, puta si quis concederet ignem rarefacere, sed non per se, per definitionem ipsius per se solam probari posset hoc modo.

Quicquid

Quicquid p propriã naturã, & nõ per aliã rarefacit per se rarefacit. Ignis huiusmodi est, ignis igit̃ p se rarefacit. Ei uero qui cognoscit ignem per se rarefacere, ignotum esse non potest simpliciter rarefacere. Et sic in omnibus aliis connexionibus procedere oportet, in quibus plura uno ex parte prædicati ponuntur, hoc etiam idem faciendum est si plura ponerentur ad subiectum, ut uehementer febricitans in periculo uitæ uersatur, hic mediũ complicatum recipere debemus exempli gratia.

Quicunque habet calorem præter naturam in corde cum maxima siti in discrimine uitæ reperitur. Sed uehementer febricitans talis existit, uehementer igitur febricitans in discrimine uitæ uersatur, & idem de aliis intelligere oportet.

Implicite uero aliquid per se inesse probatur quando prædicati, aut subiecti propria recipitur definitio & alteri per se inesse assumitur, ita ut extrema per propriam naturam connectantur, id in demõstrationibus semper contingit, nam, licet ibi per se, & huiusmodi alia non explicentur, tamen conclusio secundum propriam naturam talis infertur, exempli gratia.


Omne quod est aptum uita priuari mortale est.

Omne animal est aptum uita priuari.

Omne igitur animal mortale est.

Hic licet propositiones uerbum per se actu non recipiant, tamen si tales supponuntur conclusio per se, & necessario infertur, & hoc idem intelligendum est de aliis, quæ aliquo modo implicite probari possunt, & hæc de iis, quæ sine comparatione ostenduntur.

De quæsiti accidentis differentiis secundum compara-tionem factis, & inuẽtione medii in ipsis. Cap. XXV.



Væsita uero, quæ comparate fiunt, seu ad aliud se habẽt trifariam diuiduntur, nam, aut respectus est unius subiecti ad plura accidẽtia, ut Simia est magis homini similis figura, quam operationibus aut plurium subiectorum ad unũ accidens, ut uirtus magis expetenda est quam diuitiæ, aut plurium subiectorum ad plura accidentia, exempli gratia ita se habet Leo inter bruta gressibilia, ut Aquila inter uolatilia, uel sic Aristoteles ita superat alios philosophos ut Alexãder alios Imperatores, hæc oĩa ad prædicatũ relationẽ habẽt, ad subiectũ uero referẽtur siquis hoc pacto quæsita ꝓposuerit. Qui magis diligit doctrinã quã diuitias uir bonus existit, Socrates Aristotole sapientior legibus obtemperauit. Aristoteles, ita excellẽs inter philosophos, ut Alexander inter Imperatores, est omnium doctissimus; plura prædictis quæsita reperiri non possunt, nam quartum mẽbrum, quod ex hac diuisione oriri posse uidetur, qua scilicet unum subiectum uni accidenti refertur, non constituit quæsitum comparatiuum; sed simpliciter quæsitum, de quo in superioribus abunde dictum est; nam, si homo subiectum unum existens albedini tamquam uni accidenti subiiciatur, nulli dubiũ esse arbitror, quod talis propositio fiet, homo albus est, quæ ut dictum est simplex quæsitum uocari debet, & non secundum comparationem factum tria igitur quæsitorum genera habemus, quæ siquis ra-

tione subiecti duplare cupit, senarium numerum habebit, sed hæc impresentia parum referunt, nam eadem de utroq; ratio est, & ideo ea, quæ de tribus prioribus dicemus, ad reliqua accomodari debent, prius igitur uidendum an aliquid commune habeant, deinde particularioribus exemplis, unumquodq; absoluemus.

Quemadmodum medium inter simplex subiectum, & prædicatum positum simplicem connexionem habere debet, inter terminos uero multiplices constitutũ multiplicem facit iuncturam, ita quando extrema ad aliud referuntur, etiam medium ad aliud comparabitur hoc autem dupliciter continget, ut in superioribus, aut implicite aut explicite, sit igitur in quæsito primum relatio unius accidentis ad plura subiecta, exempli gratia homo est ita albus ut equus, explicite hunc in modũ argumentari licebit.

Quicquid ita disgregat uisum ut equus, est album ut equus homo ita disgregat uisum ut equus, ergo homo est ita albus ut equus, & eadem ratio est, si secundũ magis, & minus compararentur, implicite uero hoc pacto ratiocinari continget.

Quicunq; habet febrem continuam calidior est homine bilioso, sed synocho febri laborãs cõtinuam habet febrem, sinocho igitur febri laborans calidior est homine bilioso, in maiori enim propositione nihil aliud intelligimus, nisi: quod quicunq; maiorem calidorum fumorum copiã habet in toto corpore, quam homo biliosus, eo calidior existit, & sic nulli dubium medium, quod explicitam comparationem non habebat, latentem, &

omnino complicatam habere, quo autem pacto huiusmodi media inuenire, & ipsis abundare possimus non admodum difficile est uidere, pro iunioribus tamen dicamus definitiones, accidentia, & reliqua omnia antecedentia, & consequentia, quæ in simplicibus sumebātur absq; comparatione in his argumentis comparate semper requiri, sit enim exempli gratia ostendendum medicum sapientiorem esse iurisperito, hic nulli dubium est quod, si probare oporteret medicum aut iurisperitum sapientem esse simpliciter, a definitione, & propriis sapientiæ simpliciter consideratis arguere liceret, & simili modo ab aliis annexis tam subiecto quam prædicato, modo, cum comparate dici omnia debeant, ab eisdēmet comparate dictis argumenta sumere licebit, sit igitur sapientiæ definitio principiorum & causarum cognitio, hunc in modum iurisperito medicum sapientiorem esse colligemus.

Quicunq; iurisperito magis rerum principia, & causas agnoscit eo sapientior est, medicus iurisperito magis rerum principia, & causas agnoscit, ergo medicus iurisperito sapientior est, simili modo ab omnibus aliis antecedentibus, & consequentibus tam subiecti quam prædicati argumenta sumere possumus, quæ nos impræsentia breuitatis causa omnia omittere decreuim9. Ad hoc genus reducuntur quæsita in quibus quæritur uter uincet aut liberabitur, seu morietur, similiterq; utrum sit eligibilius melius, pulchrius, calidius, & infinita propemodum alia generis eiusdem: nam seu accidens utriq; inest, seu uni tantum, uel alteri magis, alteri uero mi-

nus,aut æqualiter, modo relatio unius accidentis ad duo,aut plura subiecta seruetur, semper eodem modo procedendum est,& in his amplum locum habent opiniones,præcipue quando subiecta,aut casu,aut electione,aut omnino propter aliquod extrinsecum accidentia subiectis insunt, aut nulla maior ratio apparet de uno,quam de altero,nam in quibus necessario,aut manifeste magis alteri inest ridiculum esset quæsitum,exẽpli gratia siquis quæreret uter magis secundum suam naturam calefaciat,ignis an aqua ridicula esset quæstio cum uni necessario,alteri uero nullo pacto insit,similiter siquis quæreret uter magis curaturus sit ægritudinẽ medicus an uulgaris, uter magis currat ceruus an testudo.Quæstiones igitur fieri debent de iis,quæ ambiguã præeminentiam habent, quod si etiam de maxime euidentibus fieri aliquando debent propter sophistas eadem methodo ꝓcedere oportet.Si igitur de bello quæratur cuinam indicendum sit, aut de pace cum quo potissimum ineunda,de uictoria cuinam præcipue tribuenda,de lucro uter maiora,& plura lucratus sit,&in omnibus aliis eiusdem generis ſm prædictam methodum procedere oportet. Exempli gratia parato ab Imperatore exercitu, quæratur turcis ne an gallis bellum inferre debeat, argumenta a belli definitione sumi possunt, quæ impræsentia sit publica dimicatio iustitiæ causa facta,uidendum igitur cui nam magis talis defintio insit,esto exempli gratia,quod Turcæ contra Deum,galli uero contra homines deliquerint, manifestum maiorẽ requiri iustitiam contra eos,qui Deum non colunt,quã

contra eos, qui alterius propria non restituunt, argumẽtum igitur hoc pacto erigetur.
Iis qui magis peccant potius bellum mouendum ab Imperatore, quam iis, qui minus, sed turcæ magis peccant, quam galli: Turcis igitur potius indicendum bellum quam gallis. Et ut argumenta a definitione belli sumũtur, ita a propriis, accidentibus, & aliis antecedentibus, & consequentibus requisitis accipi possunt, quod etiam paulo antea testati sumus, hic enim nihil aliud facere ꝓposuimus, nisi ut multitudine exemplorum, & repetitione eorum, quæ maxime utilia censemus, omnia commodius intelligantur, & probe memorię mandentur, sic enim exigente usu absq; aliqua cunctatione ipsis uti ualebimus. His quæsitis utuntur medici quando quærunt duorum, aut plurium uter biliosior, aut longioris uitæ, similiter etiam quando dicunt cerebrum esse frigidum, aut calidũ, nã intelligũt tẽperato frigidus uel calidus esse, & hæc eadẽ accomodari poterũt aliis artificib9

Duobus accidentibus uni subiecto comparatis medium inuenire. Cap. XXVI.

QVotiescumq; uni subiecto duo accidentia comparantur, aut sunt contraria, seu omnino opposita, aut non, sed potius (ut uocant) disparata, si opposita, cum utrunque inesse non possit, facile unusquisq; arbitrabitur, quod, si alterum inesse ostendatur, reliquum non inesse monstratum erit, præterea subiecto alterutro nessario prædito, ex eo, quod alterum nõ

inesse probatum fuerit, alterum necessario adesse colle ctum esse existimabit, sed hæc non ratiocinatione, sed alio modo collecta sunt, cæterum hæc clare, in iis, quæ de proportione dicemus, explicabuntur, ideo hic præceptum esse debet, ut utriusq; accidentis antecedentia, & consequentia considerentur, similiterq; subiecti, dein de uidendum quæ magis, aut minus, aut pari modo, uel omnino sola insint, aut quomodocunq; aliter ad ipsum subiectum se habeant, & ipsis ratiocinationes conficiẽdæ, quod si subiecti, & alterius accidentis solum, quod in conclusione prædicatur secundum comparationem in recto antecedentia & consequentia quæreres ut in superioribus idem efficeres, quomodocũq; autem dixeris necesse est ut omnia propter comparationem expendãtur, & ideo hæc impræsentia parui referant. Quæratur igitur exempli gratia an homini magis insit facultas audiendi, quam tangendi, aut contra, sit igitur proprium facultatis percipere proprii obiecti differentias, hunc in modum arguere licebit.

Cuicunq; inest magis percipere tangibiles differentias quam audibiles magis inest facultas tangendi; homini autem inest magis percipere differentias tãgibiles, quã audibiles, ergo homini magis inest facultas tangendi, quam audiendi, & idem de omnibus aliis intelligatur. Quopacto auté maior, aut minor propositio nota fiat nobis impræsentia dicendum nõ est, nisi aliis ratiocinationibus probari possint, supposuimus enim a principio in iis, quæ nobis cognite sunt propositiones, ratiocinandi artem tradere, quod, si præmisse quærantur tan

quam quæsita manifestum, quod nullo pacto a principali quæsito quo ad probandi modum euariant, quo fit ut in ipsis demonstrandis eodem prorsus pacto procedere oporteat. Ad hoc quæstionis genus reducūtur quæsita quibus colligere uolumus iure ne an iniuria aliquid dictum, factumue sit, bene ne an male, liberaliter, uel secundum prodigalitatem, rursus in aliis artibus, ut in medicina utrum secanda sit uena, an medicamentum purgans exhibendum, an exquisito uictu an liberaliore utendum, & deniq; an id, cuiuscūq; generis sit, quod proponitur aliquid boni uel mali ægrotāti afferre ualeat, & infinita propemodum alia ad hoc genus reducuntur, quæ nos breuitatis gratia omittimus præcipue cū in omnibus eodem pacto procedendum sit, uerum memoria non excidat, quod in his explicite & implicite arguere possumus quemadmodū & in superioribus, exépla autem facile quilibet illis commonefactus ex se ipso reperire poterit, ideo nos ad tertiū gen9 trāsibimus.

Quo pacto medium reperire contingat quando duo subiecta duobus accidentibus comparantur. Cap. XXVII.



I uero duo subiecta duobus accidentibus cō parata proponātur, ut sanus ita exercet operationes consuetas recte, ut ægrotus male, medium reperire oportebit, quod principali subiecto, & prædicato annexum sit, eo modo quo opus est ad quæsitum necessario inferendum, ita tamen

men annexum esse debet, ut ad ea, quæ comparatę dicuntur secundum prædictum modum referat, exempli gratia status secundum naturã, seu dispositio, seu affectus impræsentia enim nihil differant, tanquam medium recipi potest ad ostendendum corpus sanum recte exercere suas operationes hunc in modum. Quicquid secundum naturam affectum est recte suas operationes exercere potest, corpus sanum secundum naturã affectum est, corpus igitur sanum recte suas actiones efficere potest, hoc igitur medio simpliciter quæsitũ colligere possumus: at si cõclusio ad aliud referri debet, etiã medium ad aliud referatur necesse est, hoc pacto.

Quicquid ita secundum naturam affectum est ut aliud præter naturam, recte suas actiones exercere ualet, ut qui ægrotat male ipsas efficere potest.

Sed sanum ita secũdum naturam affectum est, ut aliud præter naturam, sanum igitur ita recte exercere potest operationes, ut qui ægrotat male.

Ad hoc genus reducũtur omnia quæsita in quibus plures artifices pluribus accidentibus subiiciuntur, aut omnino pluribꝰ plura, ut ita miles quærit uictoriam in bello, ut medicus sanitatem in ægritudine & ut agricola in agro curat ne malis hærbis fruges occupentur, ita Prætor in ciuitate ne mali homines uiris bonis impedimento sint, & idem intelligendum est de aliis, quæ eiusdem sunt generis; Poterunt præterea omnia hæc, ut superiora implicite, & explicite probari, licet raro rationibus totum explicãtibus in huiusmodi quæsitis scriptores utãtur, nam fere semper proportione utuntur, de qua alias

proprio ipſi dicato libro agere decreuimus, ideo nemo a nobis expectare debet ut de ipſa in præſenti haud cōmodo loco diſſeramus. Circa prædicta accidentis quæſita fere omnes coniecturæ, opiniones, prognoſtica, ſeu prædictiones uerſantur, nam, qui de alicuius ægrotantis ſalute, aut morte quærit quid aliud ſciſcitatur, quam duo de uno ſubiecto accidentia? qui uero duorum uter potius periturus ſit, nihil aliud quærere uidetur, quam unum accidens de duobus ſubiectis, at qui futura prænunciant, nihil aliud inferre uidentur niſi quod alterū ex contrariis inerit, aut quod huic, & non illi, aut quod huic aliquid perinde ac illi aliud. Et ſic in omnibus aliis fere ſemper uno ex prædictis modis, aut futura præcognoſcere, aut præſentia, aut præterita diuinari cōtingit. Verum in his diligenter cauendum eſt, ut ſcientia a præcognoſcendi arte ſeparetur. tunc enim ſciētia erit, quando a certis cauſis rei cognitio depēdet, quæ nullo pacto impediri poſſunt, præcognitio uero erit in iis quæ aliter ſe habere poſſunt, hæc autē ſunt quæ cauſas pugnātes habent, uerum de his alias, impræſentia enim ſufficit aliquo modo cognouiſſe quo pacto in quæſitis comparate factis procedere oporteat, quod quia utcunq; nobis abſolutum eſt, reliqua proſequemur.

Propoſito quæſito cuius cauſa quæritur medium inuenire. Cap. XXVIII.



VATVOR in uniuersum modis, ut supra dicebamus, medium secundum nostrũ cognoscendi modum inuenire licet, quorum frequentior est ille, quo proposito quæsito medium quærimus, cuius duas statuimus species, alteram qua simpliciter petebatur an ita secundum ueritatem termini iungerentur, alteram uero, quæ cognito terminorum nexu ita se habere, causam sciscitabatur. Hucusq; igitur de omnib9 transegimus mediis, quæ simpliciter inesse ostendere poterant, & hoc fere in omnium quæsitorum differentiis, & ne mediorum copia deficeret, aut inter multa proposita, quod nam potissimum eligendũ esset, æsitaremus, de ipsorum abundãtia, ac electione nõnulla tradidimus, relinquitur igitur impræsentia, ut quo pacto in illis quæsitis, quorum causa quæritur, medium reperiri debeat breuibus complectamur. Qua in re illud imprimis sciẽdum est quod quærenti absolute causam unam ex definitionibus supra enumeratis respondere oportet, quælibet enim definitio ab aliqua causa sumitur, & licet secundum formã idem non sint, nam causa est id, quod respondetur ad interrogationem factam per propter quid, de qua impræsentia agimus, definitio uero redditur ad quæsitum in quo quæritur quid aliquod simplex, & incomplexum per se sit, tamen quia semper idem subiecto sunt, obtinuit usus ut pro medio definitio poni, & nõ causa diceretur, licet scire, per causam cognoscere, & non per definitionem omnes arbitremur. Imò, quod magis mirãdum est, nullum terminum habemus, quem alicui causæ at-

tribuere possimus, cum tamen rerum causas agnoscere absq; eo, quod definitiones inuestiget, unicuiq; liceat, nam quemadmodum quaerendi modi inter se differũt, ita inueniendi uia uaria esse debet, praeterea cum alter alterum non praesupponat, & natura seiuncti sint, non uideo cur seorsim doceri nõ possint, caeterum hac potissimum de causa id factum esse arbitror, ut compendiosius simul utranq; methodum complecteremur. Quomodocũq; autẽ res se habeat nos superius posita principia seruare decreuimus, in quibus diximus definitionẽ uniuersaliter antecedere, ac consequi id, cuius est definitio, causam uero, neq; praedicari, neq; subiici per se posuimus, quo fit, ut in praesenti loco causam pro medio recipere non possimus, sed omnino definitionem loco ipsius ponere cogamur; alias tamẽ Deo fauente totum processum syllogisticum inter causas, & effectus uersari, & definitionem nullo pacto per se demonstrationem ingredi posse, ostendemus.

Totus igitur labor respõdendi ad quaesitum cuius causa quaeritur, in definitionis inuentione positus esse uidetur; quamobrem aliquis fortasse existimabit nostrum in praesenti loco officium exigere, ut definiendi artem tradamus; sed res non ita habet, supposuimus enim a principio nolle nos terminorum inuẽtionem prosequi, sed iis, qui definitionibus, & aliis terminis abundassent, artem inueniendi medii tradere decreuisse; Intẽpestiue namq; definiendi methodus impraesentia doceretur; cũ maior pars eorum, qui diuidunt, & cõponunt, aut proportione argumentantur, definitionibus utatur, ideo

hæc tractatio in aliquo omnibus his artificibus communi loco referuetur. Illud etiam non immerito quæret quispiam cur supra, quando de simplici inhærentia agebatur, a definitionibus argumenta sumpserimus, nam si omnia antecedentia, & consequentia, quæ inter se connexa aliquid colligere possunt, simplici quæsito satisfaciunt, non facile est uidere, quæ media causis quæsitorum reddendis supersint. Ad hoc igitur respõdere oportet per definitionem utrunq; ostendi silicet uerum esse, & propter quam causam, cum igitur definitio utroq; munere probe fungatur haud, mirum uideri debet utrobiq; ipsius mentionem fieri, nam quærẽti an luna amittere possit lumem an non, qui ratiocinatione id colligit, quæsito satisfacit, seu causam idest terræ interpositionem, seu aliquid aliud tanquam medium recceperit; Quicunq; igitur aliquid ita se habere solum ostẽdere cupit, non solum definitiones, sed omnes alios terminos recipere potest, ille uero, a quo quæsiti causa petitur, solam definitionem respondere debet, quæ, ut supra dictum est, rei causa existit. Posceret igitur nostrum institutum, ut queadmodum in omnibus quæsitis absq; causæ interrogatione petitis medium reperire, ac ipsorum copiam adipisci tradidimus ita etiã modo in omnibus causam inueniendi, ac ipsis abundandi pro uiribus doceremus, nam cuiuslibet quæsiti, postquam simpliciter ita se habere cognouimus, statim causam, cur hoc uel illo modo se habeat quærere possumus, & hoc non solũ in simplicibus, sed etiam in iis, quæ secundum cõparationem fiunt, ut cur morietur potius Socrates, quam

Plato, aut cur condemnabitur Catilina, & nõ Cathegus & idem de aliis intelligatur, cæterum quo minus eo pacto proficiscamur in causa est, quod supra abũde declaratum fuit qua methodo unumquodq; quæsitum definitione colligi possit, & quo pacto ipsarum multitudo secundum lõgitudinem, & latitudinem reperiatur, quo fit ut laboriosum non sit ei, qui superiora diligenter cõsiderauerit, definitionem elicere, & ipsam pro medio statuere ad causam: cur quæsitum ita se habeat, reddẽdam, ideo ea, quæ facile quilibet ex se ipso elicere potest, omittentes reliqua pro uiribus absoluere conabimur. Cum causarum genera quatuor supposita sint, manifestum quod simpliciter causam quærenti unam ex ipsis respõdere possumus, ex ipsa latitudine copiam recipientes, secundum longitudinem uero non solum immediatam sed oẽs alias superiores reddere licet, quæ quo pacto reperiri possint, supra abunde traditũ est, uerum nonnunquam contingit ut non causa quæcunq; illa sit, sed certa quæratur, quo fit, ut siquis de una interrogatus aliã responderet, quærenti minime satisfaceret, & si fortasse recte causam pro alio quæsito inuenisset, quærat enim exempli gratia quis cur Socrates ædificet, ut ipsius finem audiat, haud commode respõdebitur, quia adsunt lapides, & ligna, materia enim sunt hæc, & non finis, rursus siquis rogatus, qua substantia cerebrum constet, respondeat ideo fabricatum esse a natura, ut sit principiũ, sensus, & motus, ridiculum erit responsum, non quia uerum non sit, sed propterea quod intempestiue redditur, & hoc idem contingere potest in aliis secundum latitu-

dinem. Aliquando uero ſm longitudinē error cōtingit, nam ei, qui proximā, atq; immediatā cauſam poſtulat, fruſtra aliqua ex remotis, licet eiuſdem generis ſit, reſpondebitur, ſit exempli gratia quæſitum cuius ſit filius Socrates, ridicula erit reſponſio, quæ dicet patris eſſe filium, nam potius quinam eſſet illius pater reſpondere oportebat, diligenter igitur quid ab aliis quæratur, aut nobis ipſis tamquam probandum proponamus (ne quiduis aliud potius quam quæſitum probare contingat) animaduertendū eſt, quo autem pacto cognoſcere ualeamus quā ex cauſis quærant, aut omnino quæſitū, nobis impræſentia dicendū nō eſt, quippe qui non interrogandi, & reſpondendi artem tradimus, ſed potius quo pacto unicuiq; quæſito noto ſatisfieri poſſit, quapropter quæſita tāquam nota in tota hac tractatione recipiātur. Ei igitur, qui ſimpliciter quærit, uno ex ſuperius traditis mediis ſatisfacere poſſumus, quærēti uero cām, una ex quatuor enumeratis ſeu ſit prædicati, ſeu ſubiecti, determinate autē formalē requirēti ꝑ ipſam rñdere oportet, & ſimiliter de aliis ītelligēdū eſt. Cæterum quemadmodum in quæſitis ſine cauſa tria in uniuerſum quæri poſſunt, an ſcilicet utriuſq; termini iūctura ita ſe habeat, puta an hoc ſit uerum homo eſt albus, rurſus an homini inſit albedo, hoc eſt an ſubiecto prædicatum inſit, demum uero an prædicato ſubiectū ſubiiciatur, ita in cauſis euenire cenſendū eſt. Quod autem in illis quæſitis hæc tria reperiantur facile perſuaderi poteſt ex principiis, a quibus deducūtur, nam hoc poſtremum oſtenditur per principium illud, quo dici-

mus,siquid antecedit aliquē terminum, antecedet etiā eos,quos ille antecedit,dūmodo uniuersaliter affirmatiue id faciant,aut omnino ad utilem ratiocinationē reuocari possint. Aliud uero colligitur eodem secundum rem principio,ratione tamen non solum differente,sed etiam opposito, quo arbitramur siquid de alio prædicetur attribui etiam illis, de quibus illud prædicatur, primum uero cum sit ueluti genus ratiocinatione simpliciter concluditur,in qua processus ille a prædicatis ad subiecta, & a subiectis ad prædicata æque primo reperitur,ut enim scala potentia continet respectum ascendendi,& descendendi, ita syllogismus ad illa principia se habet, possumus igitur quærere causam cur Socrates albus sit, ita ut de toto composito intelligatur, possumus etiam quærere quamobrem homini albedo insit,aut qua de causa albedini subiiciatur homo,siquis igitur complexi causam requirat, indifferenter utraq; definitio tum subiecti tum prædicati pro medio recipi potest,absolute enim definitio recipienda est,siquis autem inhærentiæ prædicati ad subiectum causam exigat, manifestum quod per causam prædicati respondēdum est,si uero non cur subiecto prædicatū insit, sed causam qua subiectum prædicato subiiciatur,inquisierit,per subiecti causas respondeatur. Quemadmodum enim potest aliquis Florētiæ ad Montem Victolinum, & ab eo Florentiam iter sciscitari,ita in subiecto,&prædicato cōtingere cēsendum est,& ut exemplo de lignorum nexu supra posito utamur,esto lignū excipiens ea parte qua recipit cauum,exceptum protuberās siquis eius nexus

causam

causā reddere uellet, ex parte excipientis diceret quia cauum,& partem alterius protuberantem recipere aptum est,ex parte uero recepti responderetur quia partē prominentem habet, quæ in alterius cauitatem recipi potest,licet igitur eadem sit iunctura,diuersæ tamen ipsius causæ reddi possunt, quod si hoc idem in exemplo de itinere posito clarius cernere cupis nonne eadem uia aliter cum ab una extremitate,aliter cum ab alia incipimus definitur,cum tamē subiecto una,& eadem sit. De itinere enim quo Florentia ad Montem Victorinū uenitur interrogatus ab oriente occidentem uersus proficiscendum esse respōdebo,aut quod a principio uia plana,& culta est in fine uero aspera,& inculta,contra uero de ea, qua e Monte Victorino Florētiam peruenire possumus,interroganti quod ab occidentem orientem, & quod a principio aspera & inculta in fine uero plana, & fructifera est,respondendum putarem non solū ego, sed quiuis alius.Id igitur, quod etiā uulgares in rebus notissimis agnoscūt,in iis, quæ licet paulo obscuriora sunt, secundum tamen proportionem se habent,nobis inspiciendū est,Rursus esto aliquis uiæ prædictæ ignarus,qui simpliciter quonam ipsa deducat nos roget, nōne duo uero respondere poterimus,& quod Florentiā, & ad Victorinum Montem defert? Ei autem nō simpliciter de uia, sed Florentiam uersus respicienti: & an eo deducat interroganti,non amplius commode satisfacie mus ea ad Victorinum ueniri posse asserentes, præterea siquis rogaret an hæc uia Florētiā ducat, & respōderetur quod Florētia huc ipsa ducimur,haud recte respō

ſum eſſet, licet ex unius in alterius cognitionem facile deuenire poſſimus, nam relatiua ſunt, & ex uno facile alterum dignoſcitur, non tamen propter hoc aſſerendum eſt eſſe idem, cum potius oppoſita ſint, recte igitur nobis dictum eſt, quod quærenti alicuius quæſiti cauſam, duobus modis reſpõderi poteſt, per nexum ſilicet ſubiecti ad prædicatum, & per eum, qui eſt prædicati ad ſubiectum, quando igitur per accidentis definitioné probamus ipſum ineſſe, tunc recte reſpõdetur ad eum, qui cur accidens ſubiecto inſit, interrogauerit, at ſi quis non hoc, ſed cur ſubiectum prædicato ſubſit, ſcicitatus fuerit, non amplius recte per accidentis definitioné ſeu cauſam probaretur, ſed medii ad ſubiectum recipiendus eſt nexus. Suſtinentes igitur per demonſtrationem oſtendi ſubiecto prædicatum ineſſe, haudquaquam dicere poſſunt, ſubiecti definitionem, ſeu cauſam eſſe medium, niſi per accidens id aliquando contingat. At ſi demonſtratio eſt ſyllogiſmus quidam, & ſyllogiſmus per ſe utrunq; æque primo inferre poteſt, manifeſtum utriuſq; definitionem, ſeu cauſam pro demonſtrationis medio recipi poſſe, quapropter neq; ſubiecti, neq; prædicati definitio eſt medium per ſe in demoſtratione, ſed ſimpliciter definitio. Siquis autem ſubiecti definitione uti nolit, eo quia principii petitionem uereatur, ipſe ſciat ſe per paſſionis definitionem, ipſam non euitare, utrobiq; enim eadem eſt ratio; nam quemadmodum in demonſtratione, qua definitio ſubiecti accipitur in maiori propoſitione, principii fit petitio, ita in minori ſi paſſionis definitio pro medio ponatur, idem continget, nam prin

cipii petitio est quando assumitur tanquam notum id, quod principaliter probandum proponebatur, modo dicet ipse, si probari debet subiecto aliquid inesse, non debemus accipere id ipsum ipsius definitioni formali inesse, cum idem sit definitio formalis, & definitum, & qui unum ignorat alterum etiam ignorare cogatur, & sic in maiori propositione id, quod probari debet, assumitur. At ego pariter cõtra, si quis ignorat an passio subiecto insit, non debet assumere passionis definitionem formalem subiecto inesse, nam, cum idem sit accidens, & definitio ipsius formalis, manifestum propter eandẽ rationem, quod si alterũ ignoratur, reliquum tamquã notum recipi non debet, & sic aut in utroq; est petitio, aut in neutro, nos in neutro esse contendimus: quia per id, quod actu cognoscimus, in cognitionem eius, quod actu ignoramus, deueniẽ, aut, quod etiam magis placet negandum idem esse prorsus definitionem formalem, & id cuius est definitio. Cæterum de his fortasse alias pluribus differemus, impræsentia uero nobis suppositum esse debet difinitionẽ accipi pro medio ad aliquid inferendum. Illud potius minime ignorandum est ad eos, qui rerum causas perquirunt, idem esse quandoq; caussam passionis, & subiecti indagare, differunt tamẽ, ut uidimus, secundum modum considerandi, & licet eadem definitio in utroq; recipiatur tamẽ alio, & alio mõ eam inuenimus, ac inuenta utimur & ideo latere nõ debet, quod utroq; modo in ipsis procedere possumus, mihi tamen magis probatur processus, quo a subiecti causa, & forma accidentium causas, differentias, & na-

turam perquirimus, propterea quod subiectum notissimum esse debet, & ipsius definitio supponitur, accidētia uero, seu passiones an sint, an non, ignorantur, & raro possumus, nisi facta demonstratione, ipsorū perfectā definitionem agnoscere; cæterum de his ad longum dicturi sumus quando de terminorum inuentione uerba facere aggrediemur; impræsentia uero dicendū est quo pacto præcedendum sit in quæsitis quorum causa non reperitur.

Queadmodū deficiente genere, aut specie, aut ꝓprio argumentū ea parte erigi nō potest, ita in quæsitis quorū causa quæritur, deficiente definitione, seu causa, quæsitum fieri non debet; aut, si fit, ad ipsum per causam responsio dari non potest, exempli gratia siquis interrogauerit, quæ sit hominis materia carnem, & ossa respōdere possumus, rursus, si quæ carnis & ossium sit materia: interrogamur; quatuor humores facilè respondebimus, deinde quatuor elementa, quatuor uero elementorum fortasse materia prima causa materialis est, primæq autem materiæ materia quæri non potest, aut si quæratur, quæsitum tamquam inane respuendum, idem etiā de fine, & aliis intelligatur, & hæc secundum longitudinem dicta sufficiant. Alius uero quærendæ causæ modus est quando secundum latitudinem ipsarum procedimus, ut quando materiæ cur talis sit causam formam esse dicimus, formæ uero efficientem causam esse dicimus, quam finis excipit, quē alia ex dictis exciperę fortasse non potest, sed nihil prohibet, ut alius finis id faciat, & ipsum alius quousq; ad supremū oīum finē deue

niamus, aut ſimpliciter, aut in eo genere, & hæc de inuẽtione medii circa propoſitum quæſitũ dicta ſufficiant.

De ſecũdo medii reperiendi modo quo propoſita aliqua propoſitione aliquid, quicquid ſit, ea inferre cupimus Cap. XXIX.



X iis, quæ hucuſq; diximus quo pacto propoſiti quæſiti media inuenire, atq; ipſis abũdare, & inter ipſa commodiſſimum præeligere, & deniq; qua ratione per cauſam probare contingat unicuiq; manifeſtum eſſe putamus. Reſta t igiť modo, ut aliis de medio inueniẽdo deſideriis pro uiribus ſatisfaciamus, tribus enim, ut ſupra diximus, modis ipſum impræſentia quærebamus, quorum uno abſoluto ad reliquos pergendum eſt, ne illi quibus certum quæſitum non proponitur, mediis deſtituantur, & proinde concluſiones quæ ex illis oriuntur turpiter ignorare cogantur, accidit enim ſæpæ ut plures propoſitiones habentes potius quid ex illis inferri poſſit quæramus, quam quo pacto ad certum concludẽdum quæſitum accomodentur, Aliquãdo uero neutrũ ipſorum uolumus, ſed a certis principiis ad certas concluſiones, aut cõtra a certis cõcluſionibus ad certa principia adſcendere tentamus. Cæterum hoc poſtremum quaſi compoſitum quoddam ex aliis duobus eſt, ideo poſtremo loco de eo agendum eſt, impræſentia igitur quo pacto medium ad aliquid inferendum reperiatur breuibus aperiendum eſt, V tilis autem erit hæc tracta-

ctio po tissimum ad scientiarum incrementum, atq; inuentionem, similiterq; ad aliquid noui, atq; inoppinati reperiendum, nam propositiones omnibus modis conbinantibus sæpæ nonnulla reperiuntur, quæ numquã antea in mentem uenerant. Magnum etiam iuuamentum afferet iis, qui absq; certa methodo scriptores legũt, aut lectiones audiunt, nam ipsis hoc maximum incommodum contingere solet, ut quanto plura addiscũt, atq; memoriæ commẽdant, tanto magis confundantur, nisi enim a certis principiis propositiones originem trahant altera alteri sese opponere uidetur, & hinc maximi, absurdissimiq; errores cõtingunt. Maxime etiã utilis erit ad disputandum, nam ex concessis semper aliquid elici poterit quod contra aduersarium sit, aut ex oppositis eorum quæ ipse negat aliquid ad oppugnandum utile extrahetur. Deniq; hac methodo utenti nulla in animo propositio ociosa manere poterit, nam omnes ueluti fæcundæ arbores multos undiquaq; emittent ramos.

Si medium quomodocunq; extremitatibus iunctũ tuto semper conclusionem inferret, manifestum quod nihil aliud nobis in hac tractactione respiciendum esset, nisi ut duarum in animo contentarum propositionum unus communis terminus reperiretur, qui idem existẽs in utraq; propositione necessario aut prædicaretur, aut subiiceretur, aut in una prædicaretur in altera uero subiiceretur, & hoc duobus modis, aut enim in maiori prædicaretur, in minori uero subiiceretur, aut contra, & hoc quomodocunq; se haberet secundum affirmationem, & negationem, uniuersale, & particulare nihil referret, no

bis enim sufficeret, ut conclusio necessario sequeretur, Cæterum hoc ut supra uidimus non ita se habet, imo quædā media necessario concludunt, quædā uero id minime facere possunt, quo fit ut non solum communem terminum reperire debeamus, sed talem, ut ambas extremitates necessario iungat, de his autem supra diligenter determinatum est, ideo impræsentia illis suppositis aliqua uia incedendum qua medium ad aliquid quicquid sit inferendum, reperire ualeamus.

Proposita igitur qualibet propositione neminem latere puto, quod tam ipsius subiectum, quam prædicatum pro medio recipi potest, & rursus alter terminus ipsi in eadem propositione annexus maior, aut minor extremitas, prout lubet, efficietur, sit igitur propositio omnis homo animal est, siquis hac aliquid concludere cupit, alterius terminorum antecedentia, aut consequentia methodo supra tradita reperiat, nā sumpto subiecti antecedente puta rationale duabus in figuris cōclusio colligi poterit, in prima silicet & in quarta, nam si ita dicatur, omnis homo est animal, omne rationale est homo, rationale igitur omne animal est, in prima figura conclusio colligetur, & sic maior extremitas de medio prædicabatur, si uero minor, ita ratiocinari licebit, omne rationale est homo, omnis homo est animal, ergo quoddam animal rationale est, & sic argumentum erit in quarta figura, & minor extremitas medio attribuebatur, hominis uero non antecedente, sed consequente accepto semper in tertia figura argumentum concludet, nam medio utriq; extremitati subiecto semper est tertia figura, at ho

mo, in propositione accepta subiicitur animali, & nos deinde ipsius consequentia accipimus, quo fit, ut manifesto utrique subiiciatur, nihil tamen prohibet, quin animal accipi possit tamquam maior extremitas, & tāquā minor, exēpli gratia omnis homo rationalis est, omnis homo est animal, quoddam igitur animal rationale est, & sic est minor, rursus omnis homo est animal, omnis homo est rationalis, ergo quoddā rationale est animal, & sic animal est maior extremitas, hoc igitur modo habemus quo pacto acceptæ propositionis subiectum pro medio accipere liceat, propositonis autem prædicatum pro medio assumere cupienti, illius antecedentia, aut cōsequentia quærenda sunt, antecedente autem recepto secūda semper resultat figura, in qua homo poterit subiici in conclusione, & prædicari, prout placebit: exempli gratia omnis homo est animal, nullus lapis est animal, nullus igitur lapis est homo, hic homo prædicatur, modo uero subiicietur nullus lapis est animal, omnis homo est animal, nullus igitur homo lapis est. Quod, si nō antecedentia, sed consequentia accipiantur, licebit, ut supra, in prima, & in quarta figura conclusionem colligere, uerbi gratia omnis homo est animal, omne animal est corpus, quoddam igitur corpus est homo, & hoc modo in quarta, in prima uero sic, omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus.

Quo pacto autem termini se habere debeant secundū affirmationem, & negationem, uniuersale & particulare fortasse impræsentia dicēdum esset, sed cum hæc ex iis, quæ supra diximus, facile cognosci possint, nō est opus,

ut eadē

ut eadem inutiliter repetantur, poterit enim quilibet dum medium extremitatibus connectit, quam figuram componat diligenter inspicere, qua cognita, comūnia, & propria præcepta ipsi aptando, facile cognoscet an necessario conclusio colligatur, an non, & ideo quo ad hanc partem, ad ea, quæ supra diximus, lectorem remittentes reliqua prosequemur. Relinquitur modo, ut breuib9 absoluamus quo pacto media ad quatuor quæsitorum genera accomodentur, nō ad quæsiti terminos inspiciendo, sed unum hoc solum, ut secundum affirmationem, & negationem, uniuersale, & particulare conclusio colligatur, deinde etiam nonnulla de modo aliquid colligendi per causam dicturi sumus. Qui igitur uniuersalē conclusionē concludere cupit particulares propositiones respuat, similiter qui negatiue, oēs negatiuas abiiciat, hoc autem retro non commeat, nam uniuersales præmissæ ad particularē conclusionē inferendā requirunt, aut ambæ, aut altera, ad negationē uero semp altera affirmatiua esse debet, altera uero negatiua.

Quo pacto conclusionem uniuersalem affirmatiuam ex dato principio inferre liceat. Cap. XXX.




Roponatur igitur uniuersalis affirmatiua ꝓpositio ex qua aliā eiusdē generis elicere cupimus, & sit exempli gratia omnis uoluptas expetenda est, hic quatuor modis, particularibus, & negatiuis exclusis, conclusionē

R

colligi posse arbitrari licet, aut enim accipientur uniuersalia secundum affirmationem antecedentia, & consequentia subiectum, aut prædicatum, cæterum ex consequentibus subiectum non uniuersaliter (cum in tertia figura argumentum sit) sed in parte tantum colligitur, ex antecedentibus uero prædicatum nihil prorsus colligitur, propterea quod argumentum esset in secũda figura ex ambabus affirmatiuis, in qua ut supra diximus nihil necessario iungitur, ex antecedentibus uero subiectum, in prima figura uniuersalis conclusio infertur, in quarta uero secundum partem, exempli gratia antecedat uoluptatẽ gaudiũ, hunc in modũ arguemus. Omnis uoluptas expetenda. Omne gaudiũ uoluptas. Omne igitur gaudium expetendum, ex consequentib9 uero prædicatum eodem pacto in prima uniuersaliter, in quarta uero particulariter tantum colligitur sic. Omne expetendum bonum. Omnis uoluptas expetẽda, ergo omnis uoluptas bona est, quo fit ut solis antecedẽtibus subiectum ipsa existente maiore propositione, & consequentibus prædicatum existente minore aliquid uniuersaliter inferre liceat, quo fit ut disputantes facile quod concedere & quod negare debeamus aspicere possimus, nam quæ propositum colligere non possunt tuto concedentes magis perplexos aduersarios reddemus, ea uero quæ id efficere ualent negãtes ipsos ne aliquid contra nos colligãt maxime impediemus. Cæterũ de his alias impræsentia nobis sufficit ostendisse quo pacto hæc ars mirum in modum differentibus cõferat, & eodem modo dicendum est de iis, qui aliquid noui re

perire student aut omnino sciētias pro uiribus augere, nam hoc modo recte procedentibus neq; conclusiones deficient, neq; unquam aliquid falsi, aut quod suas positiones destruat, elicient, modo uere terminos antecedentes, & consequentes subiectum; & prædicatum recipiant. Quæ autem sint antecedentia & consequentia tam subiectum, quam prædicatum, & quo pacto inueniantur, & ipsis abundare possimus, tam secundum longitudinem, quam secundum latitudinem impræsentia dicendum non est cum supra de his abunde tractatum sit, & quilibet eademmet omnia ad hanc tractactionem facile accomodare possit, nullo enim alio pacto differunt nisi quod ibi quæsiti antecedentia, & consequentia quærebātur hic uero non quæsiti sed alterius præmissæ eademmet indaganda sunt.

Ex dato principio uniuersalem conclusionē negatiuam elicere. Cap. XXXI.



SI uero non uniuersale affirmatiuum, sed negatiuum concludere sit in animo uniuersalis affirmatiua, & uniuersalis negatiua recipi potest, utraq; enim tale quæsitum concluditur, sit igitur uniuesalis affirmatiua superius posita. Hic licet assumere quatuor negatiuarū propositionum genera uniuersalia silicet antecedētia, & cōsequentia, tam subiectum quam prædicatum, horum tamen ea inutilia sunt, quæ uoluptatem id est subiectū uniuersaliter antecedunt, fieret enim syllogismus aut in

prima figura ex minori negatiua, qua nihil (ut supra ui dimus) tuto colligit, aut in quarta, sed in ea nõ uniuersaliter, sed secundum partem colligeretur, similiter ex iis, quæ subiectum consequuntur aut nihil sequitur in tertia minori existente negatiua, aut secundum partem tantum. Relinquuntur igitur antecedentia, & cõsequẽtia prædicatum quorum illa duobus modis in secunda figura colligent, pro ut subiectæ propositionis prædicatum maior, & minor extremitas esse potest, hæc uero tũ in prima, tum in quarta necessariam inferunt conclusionem exempli gratia.

Omnis uoluptas expetenda.

Nulla ignominia expetenda, nulla igitur ignominia uoluptas.

Rursus, permutatis propositionibus sic.

Nulla ignominia expetenda.

Omnis uoluptas expetenda, nulla igit uoluptas ignominia, & hoc modo in secunda figura in prima uero, & in quarta sic.

Nullum expetendum ignominia est.

Omnis uoluptas expetenda est, nulla igitur uoluptas ignominia. Quod si eisdem propositionib9 manẽtibus, permutatis tamen ut maior fiat minor, & cõtra in quarta figura sequetur nullam ignominiam esse uoluptatẽ, Vniuersali autem proposita negatiua, puta nullum corruptibile bonum esse, eadem quatuor secundum affirmationem sumi possunt, quæ omnia aliquid concludunt, nõ tamen omnia uniuersaliter. nam acceptis antecedentibus subiectum in prima, & in quarta omnino

uniuersaliter inferetur, adhibitis uero consequentibus in tertia secundũ partẽ tm̃, prædicati uero antecedẽtia in secunda tuto colligẽt, idq; utsupra duobus modis, cõsequentia uero in prima nihil colligent, eo quod minor negatiua esset, in quarta uero particulariter tãtũ. Quo fit ut ad uniuersaliter inferẽdũ ꝓposito ꝑncipio negatiuo sola antecedẽtia aut subiectũ, aut prædicatũ recipiẽda sint, exẽpla autẽ nõ ponimus ne lectores fastidio afficiamus, licebit tñ unicuiq; eos paruo labore assumere.

Quo pacto conclusionẽ affirmatiuã ex dato principio colligere licet. Cap. XXXII.


I uero, qui affirmatiue in parte aliquid concludere cupit uniuersalis, & particularis affirmatiua proponi potest, sit igit̃ prior uniuersalis puta omnis uoluptas bonum, hic non solum quatuor paulo ante dicta propositionum genera sumi possunt, antecedentia silicet & cõsequentia uniuersaliter subiectum, & prædicatum, sed etiam hæc eademmet secundum partem, ita ut octo numero sint ꝓpositionũ genera, quæ particulari ꝯclusioni inferẽdæ prima frõte deseruire posset uidẽtur, at ex antecedẽtibꝰ uniuersaliter subiectũ in ꝑma uniuersaliter & non ſm partẽ concludit̃, in quarta uero ſm partẽ tantum, reliqua uero oĩa ad subiectũ relata in prima, tertia & quarta figura tuto particularẽ cõclusionẽ colligunt. Prædicati uero antecedentia tam uniuersalia, quam particularia nihil colligunt, coniungeretur enim aliquid

necessario in secunda figura ex ambabus affirmatiuis quod nullo pacto fieri posse supra determinatũ, suppositumq; est, acceptis uero uniuersaliter consequentibus in prima uniuersalis erit conclusio, & non particularis, in quarta secundum partem existet. Quo fit ut proposita uniuersali affirmatiua sex propositionum generibus uti liceat ad aliquid ea formaliter accepta inferendum, exceptis enim uniuersaliter & secundum partem antecedentibus predicatum reliqua omnia ad aliquid in parte colligẽdum commode deseruire possunt, exempla uera ad hæc diligenter percipienda ex superioribus facile eliciet diligens lector.

Particulari uero propositione sumpta ut quidã homo est albus si ad ea, quæ in parte aliquo modo aut ad subiectum, aut ad prædicatum se habent respiceremus, nihil necessario colligeret, nã ex ambabus particularibus haud quaquam struitur proba ratiocinatio, quo fit ut quatuor tantum propositionum genera respicẽda sint, nam ex negatiuis nemo unquam speraret affirmatiuã cõclusionem elicere. Vniuersaliter igitur subiectum antecedẽtibus acceptis, ut omne rationale est homo in prima, & in quarta figura nihil colligeret propterea quod maiori particulari in prima nihil sequitur, & ex minori particulari ambabus affirmatiuis existẽtibus in quarta syllogismus utilis non erigitur, siquis autem consequẽtia subiectum statueret in tertia figura tuto inferre liceret. Prædicatum uero antecedentia nihil colligent propterea quod argumentum esset in secũda figura in qua nihil affirmatiue concluditur, consequentia uero prædi

catum & in quarta tuto aliquid connectent, ita ut exceptis uniuersaliter prædicatum antecedẽtibus reliquis omnibus secundum hanc considerationem aliquid secũdum partem inferre liceat.

Quo pacto ex dato principio conclusionem particularem negatiuam inferre liceat. Cap. XXXIII.

PARticularem autem conclusionem negatiuam qualibet sumpta propositione facile inferre possumus, sit igitur primo uniuersalis affirmatiua, hic octo propositionum genera consideranda, nam uniuersalia, & particularia negatiua antecedentia, & consequentia tam subiectum, quam prædicatum eius illationibus prima facie deseruire posse uidentur, ut autem deligentius cribrentur uniuersaliter consequentia & antecedentia subiectum in tertia, & quarta figura id facere possunt, prædicatum uero antecedentia, & consequentia uniuersalia uniuersaliter colligũt in prima, secũda, & quarta figura, Particularia uero antecedententia subiecto annexa nihil colligunt propterea quod aut in prima figura argumentum haberet maiorem particucularem, aut in quarta minorem in parte negatiuam, at utroq; modo disposita medii connexione nihil necessario colligitur, ex particulariter consequentibus subiectum commode infertur in tertia figura, modo negatiua sit maior, minori enim particulari negatiua nihil in ea colligitur, ex particula-

riter antecedentibus prædicatum in secunda figura utilis fit ratiocinatio, ex consequentibus uero nihil sequitur neq; in prima, neq; i quarta ob nuper dictas causas. Quo pacto igitur accepta ꝓpositione affirmatiua quæsitum particulare negatiuum colligi possit ex dictis manifestum est, nam omnia, quæ subiecto iunguntur exceptis particulariter antecedentibus utilem constituūt ratiocinationē, cōtra uero quę prædicato copulātur exceptis particulariter antecedentibus inutilem faciunt iuncturam. Vniuersali autē proposita negatiuā ex omnibus affirmatiuis conclusio sperari potest, sed ex uniuersaliter antecedētibus subiectum tum in prima, tum in quarta uniuersaliter, & non secundum partem cōcluditur, ideo hæc tamquam inutilia reiiciantur, non quia aliquo pacto deseruire non ualeant, sed quia actu particularem de qua impræsentia sermo est cōclusionē nō colligunt, ex consequentibus uero uniuersaliter, & secūdum partem aliquid in tertia figura colligere licet, ex uniuersaliter uero antecedentibus prædicatum conclusio uniuersalis colligitur, ex iis uero, quæ secundū partem particularis, ex consequentibus uero tam uniuersalibus, quam secundum partem aliquid in quarta figura commode elicitur. Ex dictis liquido patet quod exceptis subiectum, & prædicatum uniuersaliter antecedentibus, reliquis omnibus utilis struitur ratiocinatio.
Particulari autem propositione affirmatiua sumpta ab uniuersali tantum negatiua conclusionē exigere possumus, nā particularibus adhibitis nihil prorsus colligeretur, affirmatiuis uero uniuersalibus ascitis affirmatiua,

& non

& non negatiua conclusio sequeretur, ex consequentibus autem subiectum maiori existente negatiua commoda sit ratiocinatio, ex antecedentibus uero in quarta figura aliquid colligetur, sed nō in prima, ex antecedētibus uero prædicatum maiore existente negatiua tuto infertur, ex consequētibus uero in prima, sed nō in quarta. Quo fit ut proposita particulari affirmatiua omnes propositiones uniuersales, ac negatiuæ aliquo pacto deseruire possint.

Particularē uero negatiuam assumenti uniuersalis tantum affirmatiua deseruire poterit, nā ex ambabus particularibus nulla subest spes recte concludendi, & multo minus ex ambabus negatiuis, uniuersaliter autem antecedentia subiectū, neq; in prima, neq; in quarta aliquid inferre possunt, nā neq; illa, maiori particulari, neq; hæc minori existente secundum partem negatiua aliquid necessario cōnectūt, ex uniuersaliter antecedētibus in tertia aliquid colligetur, antecedentia uero uniuersaliter prædicatum in secunda figura aliquid colligunt modo maior uniuersaliter existat, consequentia uero neq; in prima, neq; in quarta ob dictas causas, aliquid concludent. Quo fit ut proposita particulari consequentibus subiectū, & antecedētibus prædicatū comode uti liceat. Ex dictis neminē latere arbitror longe faciliori modo concludi accipiendo uniuersalia, quam particularia, & quod particulare negatiuum conclusu facillimum est, siquis tamen accepta particulari negatiua id facere tentet, maximam subibit difficultatē. Multa alia dici possent, quæ ex se inueniendæ ueritatis studiosus facile col

ligere poterit. Nos enim potius excitandi gratia, quam perficiendi uoluntate, hæc in medium protulimus, hæbetantur enim multitudine præceptorum ingenia, contra uero principiis aliquo modo deductis, si aliquid inuentu facile relinquitur, alacriora ad id excogitandum insurgunt, & postea magis memoriæ commẽdant, quæ ipsi ad inuenere, quam quæ ab aliis tradita sunt; cæterũ de his alias, nunc ad reliqua pergendum.

Quo pacto concullsionem per causam ex notis inferre contingat. Cap. XXXIIII.



VEMadmodum supra proposito quæsito non solum ipsius connexionem, sed etiã propter quã causam termini iungerentur quærere poteramus, ita impræsentia, cum ex datis principiis aliquid colligere statuerimus aliquando tantumodo simpliciter cõclusisse sat erit, aliquando uero aliquid per causam ostendisse magis iuuabit. Quæ res quãtam non modo dignitatem, sed etiam utilitatem complectatur, nemini obscurum esse arbitramur, nam siquid est quo diis immortalibus similes nos ipsos efficere ualeamus, hoc unum profecto est, nempe rerum causas cognoscere posse. Præterea siquid est, quo nos ab hostibus, & latronibus præcauere, ab ægritudinibus, & paupertate uindicare, a flagitiis, & scelestis omnibus actionibus absterrere, siquid inquam est quo aduersarios superare, sanitatem tueri, diuitias conseruare, honestas, & studiosas actiones perficere, & deniq; si-

quid eſt,quo fœlicitatem ideſt ſumum hominis bonum aſſequi ualeamus,hæc ſane cauſarum cognitio aut ſola aut maxime exiſtit;Quis enim Imperatorem laudabit, aut commode ipſum uictoriam aſſequuturũ exiſtimabit,qui cauſas quibus ipſa cõparatur,ignorauerit, quis medicum recte ægritudinem curaturum putabit, qui ægritudinis cauſam, & remediorum facultatem probe non calluerit,quis demum principem probum eum eſſe cenſebit,qui principatus adminiſtrationis,& omnino iuſtitiæ exercẽdæ cauſas redere nõ potuerit? Certe ego ſiquid me in dicendo poſſe conſiderem, non ſolum iis qui ueritatem ſolam profitentur, ſed etiam aliis omnibus honeſtioribus artificibus hanc totis uiribus cõplecti facultatem perſuadere conarer, ſed cum in dicendo uiribus parum,& multo minus authoritate ualeam ſuadendi rationibus omiſſis,quemadmodnm inſuperioribus feci ſolis præceptis inſiſtam, quibus quis facile aliquid per cauſam colligere poſſit.

Ex iis igitur,quæ ſupra diximus in memoriam reuocetur nos in tota hac tractatione pro cauſa definitionem ponere,quo fit ut aliquid per cauſam concludere, nihil aliud ſit,quam accipere definitionem pro medio,& ipſam extremis ita connectere,ut concluſio ipſius beneficio ſequatur. Præterea cum tripliciter inferre liceat,aut abſolute duorum extremorum iuncturã,aut predicati inhærẽtiam ad ſubiectum, aut ſubiecti ad prædicatum omnibus conſtare puto quod in primo modo utraq; definitio utilis erit,in ſecundo uero paſſionis definitio ſola,in tertio uero ea,quæ ſubiectum certis terminis clau

dit, quo pacto autem ipsa definitio antecedere, ac conse qui debeat, ut commode conclusio inferatur, ex superioribus patere existimo, nam toties recte ea cōcludimus, quoties nexus, seu iunctura propositionum secundum methodum superius traditam facta fuerit, ideo ne eadē fere inutiliter repetantur hæc omnia absolute pertransire decreuimus. Illud uero silentio prætereundum non est, quod aliquādo superioribus definitionibus, aliquā do inferioribus uti licebit, & hoc non solum secundum longitudinem, sed etiam secundum latitudinem eo modo qui in superioribus traditus est, sed tunc per causam mediatam conclusum erit, & ideo diligenter cauendum est ne dum causam necessariā, ac immediatā reddere cupimus, aliquam ex remotis in medium afferamus, cum igitur definitio propria possit considerari tum quo ad subiectum, tum quo ad prædicatum satis planum esse existimo, quod ei, qui simpliciter ɔcludere cupit utraq; ad concludendum utilis est, eum uero, qui cur subiecto prædicatū insit ostendere uoluerit īmediatā maioris extremitatis definitionem recipere oportet. Quod si cur prædicato subiectum sternatur ostēdere malit, subiecti definitionem propriam, seu immediatam recipiat, quæ omnia & si ex superioribus satis commode intelligi possent, tamen ne lectores impræsentia aliquo pacto remorentur, exemplis dilucidare decreuimus, sit igitur definitio hominis a fine sumpta, nā ab omnibus causarum generibus ipsas accipere possumus, animal ad fœlicitaté genitū, a qua tāquā propria passio deducat hominé sociabilé esse, hūc in modū demonstrationé erigemus.

Omne animal ad fœlicitatem genitum sociabile est.
Omnis homo est animal ad fœlicitatem genitum.
Omnis igitur hō sociabilis est, hac igit̃ demōstratione ostensum simpliciter est hominem sociabilem esse, siquis uero propterea quod definitio hominis sumpta est, uellet ut ea colligeretur hominem subiici societati facile id defendere posset, at siquis diligenter societatē definiret, agnosceret etiam definitionem aliquo pacto a prædicato sumi, nam societas nihil aliud erit, quam congregatio hominum ad beate, fœliciterq; uiuendum, ita ut nihil prohibeat aliquando in una, & eadem demonstratione omnia contineri, imo semper iudicio meo modo propriæ passiones propriis subiectis cōnecterētur, & insuper illud obseruaretur ut propria quibus agere possunt a causa formali, ea uero, quæ proprie passiones sunt a materia, ea autem, quæ finis gratia agūtur a fine demonstrarentur, & similiter ea, quæ ab efficiente proueniunt a definitione efficientis peterentur, licet in naturalibus finis, & efficiens, & forma in idem sæpæ concurrant, exempli gratia siquis ostendere uult eclypsim inesse lunæ, cum hoc pati quoddam sit non terræ interpositio, quæ causa actiua est, sed materialis lunæ definitio recipienda est, quæ absq; dubio cum materiali eclypsis definitione conueniet, dicemus enim lunam corpus esse lumine destitutum, & eclypsim definimus secundū materiam priuationem esse luminis in luna, quo fit ut absq; dubio in idem concurrant. At siquis eclypsis causam formalem peteret, dilucidum quod quærenda est causa illa, a qua habet esse, & qua posita ponitur, & abla

ta remouetur, non enim habent accidẽtia propriam for mam, ut substantiæ, sed secundum proportionem tantum. Cum igitur terra a propriis qualitatibus habeat, ut posita inter solem, & lunam possit ea lumine priuare manifestum, quod ipsa ponetur in definitione formali eclypsis, aut quod magis placet ipsius definitio prout talem actionem continere potest, exempli gratia.

Omne corpus opacum inter solem, & lunam diametraliter positum est aptum priuare lumine lunam.

Terra est corpus opacũ, & impræsentia si uis diametraliter positum inter solem, & lunam, terra igitur est apta priuare, aut priuat lumine lunã; In hac autem demostratione non ostenditur eclypsis inesse lunæ, sed terra apta esse talem actionem edere in tali subiecto, quo fit, ut siquis commode eclypsim definire uellet quo ad formã nihil aliud dicere posset, nisi quod est priuatio luminis a corpore opaco diametraliter interposito.

Quapropter siquis eodem modo in aliis proportionaliter procederet, nũquam reperiret aliquam prædicati definitionem, quæ subiecto non competeret.

At illi, qui uolũt ostẽdere eclypsim lune inesse per propriam eclypsis formam, coguntur dicere definitionem subiecti, & passionis minime conuenire. Iis igitur qui sustinere uolunt semper definitiones prædicatorum comitari naturam subiectorum, diligenter uidendum est, ut forma formæ, & materia materiæ respondeat, nam necessarium nõ est ut huius forma conueniat cum materia illius aut contra & idem de aliis intelligatur. Ex dictis igitur manifestum esse arbitramur quo pacto nexum

ex proprio subiecto,&passione per causam probare liceat,ita ut in hac re non demõstrationes, seu syllogismos demonstratiuos conficere per arduum sit, sed proprias passiones,& subiecta reperire, nam in aliis terminorum combinationibus demõstrationes fieri fortasse non possunt; Aut(quod magis urget) in definitionibus reperiẽdis laborem consistere censendum est. Nos autẽ impræsentia neq; alicuius passionis proprium subiectũ, neq; subiecti propriam passionem, neq; ipsarum definitiones docere debemus,quippe qui potius iis, qui eas habent artem inueniendi medii tradere debeamus.

Cum autem definitio prior,& notior secundum naturã sit quam definitum nemini dubiũ esse debet,quod quicunq; definitione utriq; propria ratiocinabitur ex prioribus,& notioribus,& causis conclusionis dẽmõstrabit, similiterq; ex ueris,immediatis, & propriis principiis, quæ de omni dicuntur per se,secundum quod ipsum & ut uno uerbo hæc omnia complectar uniuersaliter eo modo quo uniuersale ad demõstrationem accomodãt. Erit etiam cõclusio perpetua,ut pote quæ proueniat ex iis,quæ necessario,& semper sunt,neq; etiã de genere in genus transire licebit cum definitio unius alteri genere diuerso accomodari nequeat licet,hoc toti ratiocinationi fortasse competat & nõ demonstrationi tantum. Cæterum de his alias plurib9 differemus. Cum igitur hæc omnia in se uera definitio cõtineat habita definitione hæsitandum non est in demonstratione conficienda,sed potius ante quam definitionem addiscamus maxime uerendum est an sit uera definitio,an non. Quo pacto

autem huius rei certitudinem habere possimus alias cõmodiori loco declarabimus, impræsentia uero illud cognouisse sat est quod quicunq; definitionibus abundauerit tum propriis, tum cõmunibus ſm longitudinẽ, & latitudinẽ, & ipsis cõmode uti possit in demonstrationibus conficiendis, ille facile poterit ex dato principio aliquid per causam colligere, modo id fieri possit, nam ut supra dictum est tentandum nõ est ex quibuscunq;, sed ex determinatis, quando autem id tentandum & quando non facile cognoscet, qui ratiocinandi artem diligenter explorauerit, nã proposito aliquo principio in quo nulla reperiatur definitio, nullo pacto sperare debemus tali propositione accepta aliquid per causam colligi, nam medium utranq; præmissam ingredi debet. Cæterum hæc, & pleraq; alia generis eiusdem aut lectoris diligentiæ remittantur, aut ex superioribus de syllogismo dictis petantur, nos enim satis quoquomodo de his dixisse arbitrantes ad postremum inueniendi medii modum in syllogismis faciendis pertransire properamus. Illud tamen antea monentes quod etiam in his fieri possunt terminorum combinationes; & diligenter spectandum esset quo pacto genus speciei inesse probandum sit, aut definitionem, & deniq; omnes alias terminorum combinationes non solum affirmatiuorum, sed etiam negatiuorum, & rursus proposito principio secundum omnes connexiones quid ex ipso inferre liceat, diligenter explorare oporteret, sed nos impræsentia ocio destituti omnia prætermittere decreuimus, licebit tamen unicuiq; ex iis quæ supradiximus excitato si non om-

nia

nia ſaltem maxime neceſſaria inuenire.

De tertio modo reperiendi medium, quo a certis principiis certas inferre concluſiones, aut contra a certis concluſionibus ad certa principia aſcendere tentamus. Cap. XXXV.



QVE Madmodum ſupra dicebamus tertius inueniendi medii modus eſt quaſi ex duobus ſuperioribus cōpoſitum quoddam, nā qui propoſito quæſito principia ſeu propinqua, ſeu remota quærit, qua problematis antecedentia, & conſequentia ſumit, & omnia ſecundum longitudinem & latitudinē perſcrutatur, ut quo pacto ab ipſis inferatur adinueniat, abſq; ullo dubio primo utitur modo, qua uero alicuius principii tum ſubiecto, tum prædicato annexa inueſtigat, ut ex ipſis concluſio inferatur, ſecundo eſt opus.

Tertius uero de quo impræſētia agimus modus utroq; indiget. Differt igitur a primo, quia ibi certum ꝓponebatur quæſitum, nulla alia inſpectione adhibita niſi, ut medium reperiretur, hic uero non ſimpliciter medium ſed certum, & determinatum reperire oportet, quo fit ut non ad quæſitum ſolum reſpiciendum ſit, ſed etiam ad principia, rurſus ibi ſyllogiſmi intermedii fieri non poterant, alioquin non eſſent propoſiti quæſiti media, ſed aliorum, hic uero illis adhibitis clarior erit proceſſus. A ſecundo uero ſimiliter differt, quia in eo, propoſito principio concluſio qualiſcunq; quærebatur, hic uero non

quælibet, sed certa inuestiganda proponitur, nō tamen incipere debemus a sola natura terminorum in quæsito seu principio contentorum, nam sic aut primo, aut secū do procederemus modo, sed cognoscere debemus om nia, quæ utriq; annectuntur, siquidem recte uolumus a certis principiis, certas conclusiones, aut a certis conclu sionibus certa principia reperire, alioquin casu, & non certa methodo utraq; inuenirentur. Quo fit ut qui dili genter primis duobus modis medium reperire potest, fa cile ipsum hoc tertio reperturus sit, nam cum infinita media, neq; secundum longitudinem, neq; secundum latitudinem rerum natura concesserit, & altero uersus alterum procedamus, necessario in idem uno ex dictis modis incidemus, aut certe intrepide sustinere poteri mus ab eo principio illam conclusioné minime inferri, seu quod idem est, propositum quæsitum a certo princi pio minime dependere cernemus; Quapropter manife stum est quod disputantibus, aut aliquam positionem sustinentibus hæc tractactio mirum inmodum condu cet, sic enim quæ nihil nocere possunt admittentes, ea quæ nostras destruerēt positiones, obnixe negabimus, aut certe (modo magis ueritati quam hominum placi tis simus addicti) falsas opiniones explodemus. Præte rea hoc modo facile abundabimus argumentis, quæ uo cant a primo ad ultimum, & corollaria commode ex no stris, aut aliorum dictis facile deducemus, & si opus fuerit in formam syllogisticam erigemus, conferet etiā mirum in modum hæc methodus ad principiorum ma xime uniuersalium usq; ad minimas species deductio-

nem, aut contra ab infimis speciebus ad summa genera ascēsionem. Magnum etiam iuuamentū afferet iis, qui experiri cupiunt an aliqua propositio uera sit secundū dogma accha, demicorum, aut peripateticorum, & similiter in aliis. Praeterea hac una facultate addiscere poterimus propria principia seruare, & nihil temere asserere quod ipsis repugnet, deinde facile ea cognoscere licebit, quae ab aliquo scriptore temere dicuntur, & quae non, praeterea in una quaq; facultate facto principiorum usq; ad ultimas conclusiones decursu, facile diiudicabimus, quae recte, & quae non recte dicantur, quae deseruiant, & quae non, & an sufficiēter de aliqua re dictū sit an non, & an recto ordine disposita sint, & deniq; fere omnia, quae ad alicuius uniuersalis sciētiae absolutionem spectare uidentur, hac facultate paruo negocio diiudicabuntur.

Praecepta autem particularia hic expetanda non sunt nisi ut diligenter tum conclusionis inferendae, tum principii ipsam inferre apti, terminos discutiamus, & eodem pacto omnia, quae in medio reperiuntur, & cum principium fere necessario uninersalius sit, manifestum quod ea, quae supra ipsum sunt parum aut nihil conferent, sed ea tantum, quae infra respicient. Contra uero cōclusionis termini considerandi nō sunt pro ut aliquid habent infra se, sed potius qua ad superiora uergūt. Vnum etiā diligenter cauēdum ne quae aliquid faciūt, seu sunt per accidens, tāquam causae per se recipiantur, non enim si ex pace fiunt diuitiae, & omnium rerum copia, & ex his luxus, & ambitio, quib9 postea inimicitiae, & intēstinae

diſcordiæ ſuccedunt, quæ neceſſario comitantur bellũ, Ideo dicendum eſt a pace bellum gigni. Quod ſiquis id ex accidenti ſequi oſtendere uellet, facile poſitionem ſuſtinere poſſet, ideo diligenter, ut ſupra etiã monuimus, quid quæratur agnoſcendum eſt, & nos qui reſpondemus quo pacto quæſito ſatisfaciam9 latere turpiſſimũ eſt, nam quid quæratur ignorare cuiuis facile permittitur, ſunt enim quæſita ſæpæ ambigua, quæ ad plures interrogationes aptari poſſunt, quo fit ut mirum uideri non debeat, quod in illis aliquãdo hallucinemur, ſimiliter aliquando aſſerenti ſe cauſam ignorare æquo animo indulgemus, ſed reſpondere & neſcire qua ratione id facias nulla contegi poteſt excuſatione. Quæret fortaſſe aliquis an hæc tractatio cõtineat ſyllogiſmos ad incommodum deducentes, nam cum multæ concluſiones ab illorum principiis deducantur, non ita facile eſt uidere cur ſeparari debãt, nos uero alias oſtenſuri ſumus ſyllogiſmum ad incomodum partem eſſe eius, qui ex ſuppoſione, de ſyllogiſmo autem uere ex ſuppoſitione nobis agetur quando de proportione uerba faciemus, quamobrem non eſt cur in præſenti loco ipſum continere cẽſendum ſit, ſed ea tantum, quæ dicto de omni, & de nullo, aut eo quod eſt eſſe ĩ toto, aut ĩ nullo oſtenduntur & omnino ea quæ ſimplici ratiocinatione probari poſſunr, ut autem dicta exemplis illuſtrentur, ſit principium tale, ea, quæ eandem qualitatem habent ſimilia ſunt, a quo talem concluſionem deducere uolumus. Mel eſt amicũ naturæ noſtræ, hunc in modũ ab ipſa concluſione ad principium aſcendere licebit,

Omne dulce naturæ noſtræ amicum eſt.
Mel eſt dulce. Mel igiť naturæ noſtræ amicũ ē. rurſus.
Quicquid alicuius ſubſtantiam conſeruare poteſt, ipſius amicum eſt.
Dulcia ſubſtantiam naturæ noſtræ cōſeruare poſſunt.
Dulcia igitur naturæ noſtræ amica ſunt. Deinde.
Ea, quæ alicui ſimilia ſunt ipſum conſeruare poſſunt.
Dulcia naturæ noſtræ ſimilia ſunt.
Dulcia igiť naturã noſtrã cōſeruare poſſunt, præterea.
Quæcunq; eandem temperiem, ſeu qualitatem ſortita ſunt ſimilia exiſtunt.
Dulcia eandem naturæ noſtræ temperiem ſortita ſunt.
Dulcia igitur ſimilia ſunt naturæ noſtræ.
Ea quæ ſunt ſimilia naturæ noſtræ ipſius amica ſunt.
Dulcia naturæ noſtræ ſimilia ſunt.
Dulcia igitur naturæ noſtræ amica ſunt.

Ecce quo pacto ab illa concluſione in hoc principium aſcendere liceat, & eadem ratio eſſet ſi deſcendere uellemus, & ideo opus non eſt, ut circa hæc amplius immoremur. Ilud poti9 a nobis aliquis exigeret, quo pacto proceſſum illum dignoſcere liceat, hoc eſt qui terminus in uno quoq; ſyllogiſmo accipiatur, & quo modo ad maiorem, & minorē extremitatē ſe habeat, ſic enim facile quo rationes noſtræ tenderent, intelligereť, termi nis autem ignotis exiſtentibus, qui pro mediis recipiũtur hoc minime fieri poteſt, uerum quia huiuſmodi error non prouenit ex ignorantia inueniendi medii, ſed potius eo quod propoſitones quo ad materiam ignorantur, ideo nos de illis uerba facere nolumus, nam aut

qui de terminis agũt, aut qui de ꝓpositionibus (ut etiã supra testati sumus) hoc facere debet. Et hæc de tertio inueniẽdi medii modo impræsentia dicta sufficiant, alias fortasse maius nacti ocium non solum ipsum sed alios diligentiori methodo prosequemur.

Ratiocinationis factæ mediũ reperire. Cap. XXXVI.



Hucusque quo pacto in omnibus conficiendorum syllogismorum differentiis a nostro desiderio sumptis medium reperiri possit, pro uiribus diligenter declarauimus. Relinquitur modo, ut breuibus methodum complectamur, qua ipsum in ratiocinationibus factis inuenire ualeamus. Quemadmodum enim ædificatoris est domum construere, & destruere, textorisq; telam texere & retexere, prætereaq; oratoris suadere, & dissuadere, ita ratiocinator nonsolum nouas conficiendi ratiocinationes, sed etiam factas exacte agnoscendi, ac etiã resoluendi artem callere debet, adeo ut impræsentia nihil differat dicere hac in parte agi de resolutione syllogismi in propositiones, & terminos, seu de modo destruendi eũ in partes ex quibus compositus fuit (quemadmodum domus dum destruitur, in lapides, ligna, & reliqua huiusmodi dissoluitur) ab eo quod est tractare de inuẽtione medii in syllogismis factis, nam qui destruit, seu resoluit medium necessario reperit, & qui medium quærit in syllogismo facto, ipsum in proprias partes resoluit. Quemadmodum autem in superioribus medii natura

tanquam maxime apto principio utemur, ut ipsum in proposito quæsito, & aliis dictis generib9 reperiremus, ita impresentia ipsa commonefacti facile in nostris, seu aliorum dictis, scriptisq; idem inuenire licebit, cũ enim secundum propriam naturam extremis iungatur, si inter duas, aut plures oblatas propositiones aliquid unũ, & idem reperiatur, statim inter eas syllogismũ esse spẽ animo concipere debemus, non tamen adhuc an necessario concludat, an non ex uisis dignoscere licet. At instructo ratiocinatori diligenter iuncturam respicienti, quo pacto silicet secundum affirmationem, & negationem, uniuersale, & particulare se habeat, non minus an recte conclusio inferatur, iudicare licebit, quam fabro lignario, aut ædificatori an archa, aut domus artificiose cõstructa sit. Ei uero qui omnes modos in una quaq; figura utiles memoriter non agnoscit, facile erit nexum ipsius cum utraq; extremitate inspicere, deinde ad tabellam superius positam ipsum accomodare, & deniq; an inter utiles, & necessario cõcludentes, an inter inutiles, & temere conclusionem inferentes reponatur, ex se ipso cognoscere poterit. Cæterum dicet quispiã se facile medium reperturum, sed an necessario concludat an nõ cõmode intelligere non posse, propterea quod extremitates inter se dignoscere non ualet, proponatur enim exẽpli gratia talis ratiocinatio.

Quicquid secundum propriam naturam nos lædit, nostræ nature inimicum est.

Omne uenenum secũdum propriam naturã nos lædit.

Hic id quod secundum propriam naturam nos lædit,

medium est, sed ex tali connexione conclusio in prima & quarta figura colligi potest hoc modo; omne igitur uenenum nostræ naturæ inimicum est, & sic in prima, in quarta uero huiusmodi erit conclusio, aliquod nobis inimicum, uenenum est, si igitur conclusio actu colligitur difficultas dignoscendi extrema inter se penitus aufertur, nam id quod in conclusione prædicatur maior, id uero quod in ea subiicitur minor extremitas est, raro autem conclusio in syllogismis factis omittitur, sed potius altera ex ꝑpositionibus de quibus paulo post agetur; si quando tamen omittatur nobis diligenter medii nexus cum utraq; extremitate inspiciendus est, nam aliquando uno modo concludet altero uero non, exempli gratia in hac terminorum dispositione.

Omnis homo est animal.

Quoddā corpus non est animal, tuto inferre licet quoddam corpus non est homo, at cōtra in prima silicet figura maiori particulari existēte nullo pacto concluditur.

Quotiescunq; igitur conclusio, & propositiones notæ sunt, facile est medium inuenire, ignorata uero conclusione propterea quod omissa est, in quacūq; figura semper duobus modis accipi potest, & est in nostra potestate utrum uelimus eligere eum tamen semper eligere debemus, qui dictis; dicendisq; magis accomodat, & eū qui concludit, ei qui non cōcludit; & similiter eum qui uniuersaliter ei, qui secundum partem cōclusionem colligit, præferre oportet. Cæterum si non conclusio sed altera ex præmissis deficeret, & conclusio cum reliqua extremitate nota esset, uidendum nobis qua arte reliquā

indagātes

indagantes medium reperire contingat.
Incipientes igitur a notioribus dicamus quemlibet syllogismum simul cum conclusione sumptum, nō solum medium terminum, sed maiorem, & minorem extremitatem bis repetitas continere, nam argumentum absq; conclusione medium bis, extrema uero semel recipit, cōclusio uero ex utraq; extremitate relicto medio componitur, quapropter deficientem propositionem facile reperiemus modo terminos, qui semel, & non bis accepti fuere diligenter agnoscere ualeamus, nam si maior extremitas, seu conclusionis prædicatum semel tantum recepta est, maior propositio deficit, nihil enim aliud est maior propositio, quam medii termini cum maiori extremitate iunctura, & idem semel minori tantum extremitate recepta intelligendum est, an uero antecedere medium debeat, an consequi & hoc ipsum an affirmatiue an negatiue, seu uniuersaliter, uel secundum partem ex se ipso diligens lector iis, quæ dicta sunt commonefactus fortasse intelligere posset, nos tamen ne iuniores ob rei difficultatem deterreantur, quorundam exēpla ponere non grauabimur, ostendemusq; qua arte hæc intelligi possint, simulq; quando in una dispositione, seu modo, & quando in pluribus argumentum conficere liceat. Maior igitur, seu minor propositio, altera relicta, cūm conclusione sumpta semper quatuor terminos obtinet, non re sed ratione distinctos, nam necessario aliquis ex illis bis accipitur, & hic non erit medius terminus, sed maior, aut minor extremitas pro ut maior aut minor propositio cum conclusione assumit. Quo fit ut

facile sit agnoscere an maior an minor propositio deficiat, nã si terminus in conclusione attributus semel tantum ponatur, nulli dubium maiorem propositionẽ deesse, at subiecto conclusionis accepto non maior sed minor propositio deest, quæ si cũ medio iuncta minor extremitas addatur, completus efficietur syllogismus, & quilibet terminus ut supra diximus recipietur, ut autẽ scire possimus quibus in figuris ratiocinatio cõficiatur ad ipsam quatuor terminorũ dispositionẽ respiciendũ est, nam quatuor modis uariari possunt, id enim, quod est in propositione predicatũ, potest in conclusione prædicari, & subiici & similiter subiectum ita ut quodammodo quatuor dispõnes, seu figuræ resultẽt, quæ in hoc differũt ab iis, de quibus supra tractauimus, quia ibi medium extremis iungebatur ut conclusio sequeretur, hic altera extremitas cũ medio & altera extremitate copullatur, non ut aliud inferatur (inibi enim continetur conclusio) sed ut reliqua propositio tamquam nota omissa reperiatur. Cum autem quælibet dispositio secundum affirmationem, & negationẽ uariari possit, rursusq; quælibet secundum uniuersale, & particulare nulli dubium esse debet quod quemadmodum supra quatuor & sexaginta syllogismorum differentias reperiebamus, ita hic conclusionum cum altera extremitate totidem numero species reperientur, quas an recte colligant, an nõ duobus modis cognoscere licebit, aut enim adiecta propositione, quæ antea deficiebat diligenter explorabimus an syllogismus utilis, an inutilis resultauerit, aut propria præcepta ipsi aptando uno intuitu an aliquid

necessario concludatur, an non facile iudicabimus. Reperiuntur autem in his quemadmodum in syllogismorum spēbus nonnulla præcepta omnibus dispositionibus communia, quædam uero unicuiq; propria, quæ eadem cum superioribus non sunt, sed aliquo modo ipsis proportione respōdent, de quib9 alias pluribus differemus ī libro cui inscriptio erit de syllogismis uocatis hypotheticis, impræsentia uero sufficit ut summatim de ipsis agamus. Omnibus igitur commune est ut ex propositione quam antecedens uocant negatiua, conclusio affirmatiua, quam consequens appellant, inferri non possit, neq; etiam ex particulari propositione uniuersalem conclusionem colligere liceat, ex quibus octo & uiginti modi auferuntur, ita ut sex, & triginta tātum supersint. Primæ autē dispositionis in qua idē ꝑpositionis prædicatū est etiā cōclusionis, ꝓpriū est ut ex affirmatiua, cōclusio negatiua nō sequatᷣ, nā cum ibi sit maior propositio cum conclusione & argumentum necessario, aut in prima sit, aut in tertia dispositione uel seqeretur conclusio neutra ex præmissis negatiua existēte, aut ex minori negatiua in illis aliquid colligeretur, quorum neutrum contingere potest, nisi superius posita principia labefactentur, cū autē hoc proprio tres auferantur modi, sequitur ut sex modi in hac prima dispositione utiles relinquātur. In secunda uero dispositione in qua propositionis prædicatum subiicitur in conclusione argumento in tertia, uel quarta figura existente nihil affirmatiue uniuersaliter colligi potest, præterea ex propositione uniuersali affirmatiua uniuersalis conclusio negatiua

haud recte infertur propterea quod in tertia uniuersali ter colligere non licet, in quarta uero licet quidem, sed nō eo modo. Postremo ex particulari assumpta negatiua nihil colligitur, propterea quod ipsa necessario est minor propositio, quæ in tertia, & quarta inutilis prorsus cēsetur. Tertiæ uero figuræ, in qua ꝑpositionis subiectum in conclusione prædicatur, proprium est quod propositione uniuersali existente conclusio etiam uniuersalis esse debet, propterea quod ipsa semper est minor propositio, & argumētum aut in prima, aut in secūda dispositione fit, in quibus ex maiori particulari nulla sequitur conclusio, ex uniuersali uero non secundum partem, sed uniuersaliter infertur. Tribus autē hoc proprio ablatis modis sex utiles & necessario cōcludentes relinquentur. In quarta uero dispositione propositionis subiectum in conclusione prædicatur, & præmissa semper est maior propositio, aut in secunda, aut in quarta figura, quo fit ut in ea affirmatiue nihil cōcludatur, neq; ex propositione particulari negatiua, nam neq; in secunda ex maiori particulari, neq; in quarta absolute ex particulari negatiua; præterea ex particulari affirmatiua, negatiua in parte conclusio non infertur, qua propter si quis modos utiles diligēter inspexerit, sex in una quaq; dispositione utiles ac necessario concludentes repeeriet, ita ut sint omnes numero quatuor & uiginti. In prima igitur dispositione cum uocatum antecedens sit maior propositio, in qua maior extremitas de medio prædicatur, si altera propositio accipiatur in qua minor extremitas medio subiiciatur sine dubio prima erit fi-

gura, at si prædicet, tertia resultabit dispositio, cognita igitur conclusione facile erit uidere an conclusio in tertia colligi possit an non, & ex data propositione an in uno tantum ipsius modo an in pluribus, quo fit ut præcepta amplius expectanda non sint, sed potius ut exemplis omnes utiles modos prosequamur, qua in re illud antea monere uolumus parui nostra referre an simpliciter propositio proferatur, seu cum particula, si, cum, aut omnino aliqua alia tali, ostēdemus enim libello supra citato tales dictiones non habere uim efficiendi syllogismum quem cathegoricum, seu ostensiuum, seu simpliciter syllogismum appellāt, syllogismū hypotheticum, seu ex suppōne, natura enim ipsi inter se sciungūtur, & non ad libitum ex nostro proferēdi modo, sit igitur argumentum factum cui deficit altera propositio huiusmodi. Si omnis homo est animal quicquid rationis est particeps animal est, hūc in modum maiorē propositionem addentes syllogismum absoluemus, ut medium commode elicere ualeamus.

Omnis homo est animal.

Quicquid rationis particeps est homo est.

Quicquid igitur rationis est particeps animal est.

Et sic facile agnoscere licet hominem non solum medium terminum esse, sed etiam quo pacto extremis iungatur, hic igitur primus uocatur modus, secundi autem exemplum erit huiusmodi.

Si omnis homo animal est quoddam corpus est animal conclusio hæc in prima figura hoc modo colligetur.

Omnis homo est animal.

Quoddam corpus est homo.
Quoddam igitur corpus animal est. Rursus in tertia minori nō solū uniuersali, sed etiā pticulari existēte sic.
Omnis homo est animal.
Omnis, seu quidam homo corpus est.
Quoddā igitur corpus animal est. Tertii modi exēplū.
Quidam homo est albus, ergo quoddam rationale est album, hoc in prima figura maiori particulari existente colligi non poterit, sed nihil prohibet quo minus in tertia hoc modo colligatur.
Quidam homo est albus.
Omnis homo rationalis est.
Quoddā igit̄ rationale albū est, & hæc de affirmatiuis
Negatiua uero cōclusio reliquis trib9 modis ostēdit̄ sic
Nullum animal plāta est, nullus igitur homo est plāta, syllogismus hoc modo erigetur in prima figura.
Nullum animal planta est.
Omnis homo est animal.
Nullus igitur homo planta est, in tertia uero dispositione talis conclusio colligi nequit, propterea quod in ea nihil uniuersaliter cōcluditur, & hic est quartus modus, quinti uero tale erit exemplum.
Si nullus homo planta, quoddam animal non est planta, conclusio hæc prima, & tertia figura colligi potest prima uno modo sic.
Nullus homo est planta.
Quoddam animal est homo.
Quoddam igitur animal non est planta.
In tertia uero, seu medium uniuersaliter, seu secundum

partẽ subiiciat͂, eadẽ cõclusio inferetur, hunc in modũ.
Nullus homo est planta.
Omnis homo, uel quidam est animal.
Quoddam igitur animal planta non est.
Vltimi uero modi tale proponatur exemplum.
Si quidam homo non est philosophus, quoddam animal non est philosophum, hoc in prima figura colligi non potest, sed in tertia.
Quidam homo non est philosophus.
Omnis homo est animal.
Quoddam igitur animal non est philosophum.
Et hæc de prima dispositione sufficiant. Quo pacto autem in reliquis dispositionibus procedendum sit facile ex iis, quæ dicta sunt diligens lector commonefactus ex se ipso adinueniet, siquis autem reliquorum exempla cupit, aut reliqua, quæ ad absolutionem huius partis desiderari possunt, is nostrum libellum, quem paulo antea citauimus expectet; Ex dictis manifestũ est quo pacto deficiente maiore, aut minore propositione medium reperire contingat, similiter etiam quod propositione neutro termino conclusioni annexa nullo pacto immediate syllogismus, aut omnino mediũ sperari potest, nam mediate hoc est uno, aut pluribus mediis, seu syllogismis interpositis nihil prohibet ex uno alterum inferri licet nullo pacto terminis coniungantur, exempli gratia. Si uirtus bonum quoddã est iustitia expetẽda est, hoc, ut dictum est, ĩmediate illa propositione probari, ĩferriq; nõ potest, sed mediate hoc pacto arguemus
Omnis uirtus bonum est.

Iustitia uirtus est.
Iustitia igitur bonum est, deinde alio silogismo optata conclusionem sic inferemus.
Omne bonum expetendum est.
Iustitia bonum quoddam est.
Iustitia igitur expetenda est.
Simili autem modo procedendum est quando per plura media transire oportet, eadem enim ratio est in omnibus. Quotiescunq; igitur in nostris, aut aliorum dictis, scriptisq; huiusmodi argumenta reperiemus, in quibus propositio cõclusioni cõi quodam termino annexa est; uno ex prædictis modis reliquam propositionem addẽtes medium extrahere poterimus, at siquando nullo pacto iuncta interse fuerint, tunc ad tertium medii reperiẽdi modum, de quo supra utcunq; sermonem absoluimus, inspicere oportet, ibi enim quo pacto ex dato principio certam conclusionem colligere contingat, declaratum est. Via autẽ proportionis ea, quæ syllogismo probari non possunt, immediate aliquando probare cõtingit, fit enim argumentum huiusmodi.
Si iustus in rebus propriis unicuiq; tradẽdis lætatur, & magnificus in magnis sumptibus oportune faciendis uoluptate afficitur, argumentũ in proportione tale erit Quemadmodum iustus se habet ad reddendũ unicuiq; suum, ita se habet magnificus ad magnos sumptus oportune faciẽdos, sed iustus rebus iustis gaudet, ergo & magnificus magno sumptu, siquis autem assumptum, aut id quod sequit᷑ negaret, syllogismo, aut alia proportione, aut aliquo alio modo probare liceret. Cæterum cum

de illis

de illis nõ ſit præſens inſtitutum, impræſentia hoc unũ cognouiſſe ſufficiat non nulla proportione immediate probare licere, quæ uno ſyllogiſmo demonſtrari, colligiq; nequeunt.

Cæterũ fortaſſe aliquis a nobis impræſentia expectat, ut quo pacto ratiocinationes in propoſitiones & terminos reſoluantur, oſtẽdamus, eo quod in multis difficile admodũ eſt uidere, quid prædicetur, & quid ſubiiciatur, & quo pacto termini dignoſcantur, ut cõtrariorum eſt eadem diſciplina, boni eſt ſcientia qua bonum, & ſimiliter in reliquis huiuſmodi, nos autem difficultatem in eo potiſſimum conſiſtere arbitramur quod terminos & propoſitiones, ex quibus conficiuntur, ignoramus, ſi quis enim commode conſtruere poſſet, facile deſtrueret at nos hoc in loco conficiendi propoſitiones artem docere non decreuimus, quo fit ut ſiquid hac in parte obſcuri relinquatur, ex illa tractatione perſpicuitatem accipere debeat.

De illis, quæ in hac tractione omiſſa uidẽtur, aut conſulto omiſſa ſunt. Cap. XXXVII.



VAMquam uereor ne nimis multa de inuentione medii nobis tradita ſint, ita ut potius faſtidium, quam utilitatem aliquam delicatioribus hominibus, aut iis qui non admodum diligenter philoſophandi munus ſuſceperunt, attuliſſe uideamur, nihilominus magnopere timeo, ne illi qui totis uiribus ueritati, ſe dediderunt

multa etiam alia a nobis desiderent, nõ modo in iis omnibus, de quibus supra sermonem utcunq; absoluimus, sed etiam in illis, quorum nulla nobis mentio facta est, nihil enim prohibet aliquem medium optare quo non problema seu quæsitum ita se habere ostẽdere uelit, sed potius contradicẽdo opposito modo terminos iunctos esse colligere cupiat, quod quidem non solum inter disputantes, hoc est inter positionem aliquam sustinentẽ, & aduersus ipsam arguentem, sed etiam tentandi gratia an aliqua opinio, seu omnino propositio uera sit, uel falsa facere licet. Præterea cum idem artifex circa opposita uersetur, & probare, & improbare aliquid in ter se opposita sint, sine dubio nos qui de probandi ratione uerba facimus, etiam quo pacto positio aliqua impugnari debeat tradere debemus.

Rursus cum supra a nostro instituto tractationem de terminis penitus segregauerimus, & aliquando quæri possit an aliquid sit alicuius genus, aut proprium, aut aliquid aliud talium, aut an idem an diuersum, & si diuersum an cõtrarium, seu omnino oppositum, an potius ut uocant disparatum, & hæc omnia propositiones conficiant, nõ ita in promptu est uidere an de his impræsentia agere debeamus, an nullo pacto agendum sit, uel potius in superioribus comprænhendãtur; Rursus cũ quæri possit, an aliquid recte definitum, diuisum, aut cõpositum sit, & hæc ratiocinatione probari possint recte seu non recte definita, diuisa, seu composita esse, uidebitur fortasse cuipiam satis commode totam inueniendæ ueritatis facultatem sub ratiocinatione cõtineri, & posse ali-

quam syllogismo definere, diuidere, & reliquas logicas actiones perficere, de quibus nihil nobis traditum est. Quærent etiam fortasse nonnulli, quo pacto reperiri media possint, quæ non simpliciter, hoc est secũdum ueritatem, sed ad hominem conclusionem colligant, aut omnino medium falsum dũmodo aut uerum uideatur, aut eo tempore, quo eo opus est concedatur.
Aliis uero nihil fortasse referret an id de quo agitur medium re uera sit, an tãtummodo uideatur & omnino seiuncta sit a propositione propositio, multoties enim cõtingit ut propter uocis significationis ignorantiam, aliquid cum nullo pacto sit, medium tamen appareat.
Nonnulli uero fortasse paulo acutiores a nobis expectant ut de mediis inueniendis agamus; quibus ostẽdere liceat animam mortalem, uel immortalem esse, aut Cœlum corruptibile esse, aut incorruptibile, aut de iis quibus sanitas cõseruatur, & morbus aufertur, & deniq; ut de medio agamus, non solum in uniuersali sed etiam in omnibus particularibus quæsitis, idem enim artifex ad quem de uniuersali agere spectat, particularis sub eo contenti uerba facere debet, hæc igitur & pleraq; alia a nobis desiderari possent, quibus uerius fortasse responderemus, si aut nesciuisse, aut tempus, ociumq; scribendi defuisse diceremus, tamen ut quid nostræ tractactioni secundum nostram sententiam deficiat, & quid non aperiamus, singulorum causas apponere non grauabimur, ostendemus enim nonnulla ad nos impræsentia nullo pacto pertinere, quædam uero probabili ratione in aliud commodius tempus dilata esse, nonnulla uero

adeo clare ex ſuperioribus pendere, ut alia præcepta ex pectanda non ſint, quibus diligentius declarentur.

Quo igitur ad primum ſpectat duobus modis reſpondere poſſumus, uno aſſerentes de arte improbandi aliquo modo pertractatum eſſe, nam ſiquis aliquod problema deſtruere cupit, ſeu aliquam poſitionem cõtradictorium, aut omnino oppoſitum eius probare debet, ſit enim quæſitũ, ſeu poſitio deſtruenda omnis anima eſt immortalis, omnem animam aut quandam mortalem eſſe probare debemus, aut quod quædam nõ eſt immortalis, aut ſi lubet quod nulla, quo oſtenſo problema ſeu poſitio deſtructa erit, ſi uero non immediate, ſed mediate hoc facere ſit in animo, probanda ſunt ea antecedẽtia & conſequentia, quæ ad ultimam immediatamq; demõſtrationem requiruntur, quæ autem ſint hæc; & quo pacto probari poſſint, ex ſuperioribus ſatis abũde declaratum eſſe arbitramur, quo fit ut contradicẽdi facultas in iis, quæ dicta ſunt aliquo modo ꝯtineatur. Nec illud obſtare debet quod multa uni & multis modis aliquando opponuntur, quæ omnia nota eſſe deberent ei, qui certa methoda aliquid deſtruere cupit, nã in tractatu de propoſitionibꝰ & nõ impræſentia huiuſmodi omnia declaranda ſunt, opponunť enim licet nemo deſtruere, aut cõſtruere aliquid uelit. Præterea ſiquis de illis impræſẽtia ageret, fruſtra eadẽ repetẽda eſſent quãdo aut diuidere, aut ad incõmodum deducere, aut aliquid aliud tale molireretur, in quo declarando aliqua oppoſitione opus eſſet, iure igitur nos totam illam partem ſuppoſuimus. Altero uero modo dicere licet nos ea de cauſa hæc omi

fiſſe, quia proprio ei dicato libello diſputandi faculta-
tem complecti uolumus, in quo multa tradenda erunt
non ſolum ad ratiocinationem, ſed etiam ad proportio-
nem, & alios probãdi modos neceſſaria, quæ impræſen-
tia commode tradi non poterant, nam de iis qui ratioci
natione ſola inter ſe certant uerba fieri debebant, at cũ
diſputantes aliquando diuiſione, aliquando cõpoſitio-
ne, ſæpe inductione aut exemplo, uel ſenſu, ſeu experiẽ
tia, multoties uero ſyllogiſmo ducente ad incommodũ,
aut eo qui eſt ex ſuppoſitione, aut omnino proportio-
ne proprias rationes deducant, non uideo quo pacto in
præſenti loco de tota diſputandi arte uerba facere poſſi
mus. Quapropter mirum uideri non debet ſi nos eam
in aliud commodius tempus diſtulimus.
Ad eos uero, qui de terminis dubitant satis ualida reſ-
ponſio imprompt eſt, nam aliud eſt terminos quære-
re pro ut ſeiuncti ſunt, & ex ipſis propoſitiones confici
poſſunt, aliud eſt quærere medium in illis propoſitioni
bus, quæ ex illis tamquam ſecundis, ut aiunt, itentioni-
bus, componuntur, nam qui quærit genus ſeu ſimplici-
ter, ſeu alicuius ſpeciei, aut definitionem, aut aliquid ali
ud t[illegible]e, ipſum ſimpliciter ratiocinatione inuenire non
poteſt, ſed diuidendo ſpecies reperientur & differentiæ,
cõponendo genera, rurſus definiendo definitiones aſſe
qui licet. De his autẽ omnib9 pluribꝰ alias diſſeremus.
Sed quando quæritur an homo ſit animalis ſpecies in-
ter hæc medium reperiri poteſt, quoniam non proponi
tur ſimplex terminus, ſed propoſitio, quo ſit ut neq; cõ-
ponens, neq; diuidens, & multo minus definiens huiuſ-

cemodi quæsitum probare possit, nisi per accidens, nã artifices hi circa simplices, & ab aliis separatos terminos uersantur, sufficit igitur nobis ad præsens ut ostendamus huiusmodi quæsita in iis, quæ supra diximus contineri, siquis enim quærat an habitus in mediocritate consistens definitio uirtutis sit, facile ex iis quæ quæsiti prædicato & subiecto annexa sunt hoc ostendere licebit, hunc in modum.

Quicquid uirtutis substantiam aperit, ac declarat ipsius definitio est.

Habitus in mediocritate consistens uirtutis substantiã aperit ac declarat.

Habitus igitur in mediocritate consistens uirtutis definitio est, hoc igitur argumentum sumptum est a definitione prædicati, possemus autem hoc idem aliis mediis probare, & deniq; ipsi totam superius traditã methodum de inuentione medii ad propositum quæsitum accomodare, nobis autem sufficit ostendisse ea, quæ dicta sunt, non solum primis, sed etiam secundis intentionibus deseruire, & posse nos ex iis, quæ utriq; extremitati annexa sunt, cõclusionem colligere, modo ita inter se iuncta sint, ut conclusio necessario sequatur, de quibus satis multa in superioribus dicta sunt. Totum igitur quod ratiocinatione de terminis inuenire licet ex hac arte petendum est, siquis autem expectaret ut quæ sit uniuscuiusq; definitio, proprium, accidens, & reliqua huiusmodi declararemus, is non meminit ea, quæ a principio diximus, promisimus enim nolle nos de terminis & propositionibus agere, sed omnia quæ ad ipsa spe-

ctant tanquam ſuppoſita recepiſſe, cito tamen librum
edituri ſumus in quo de terminis agemus nõ ſolũ quot
ſint,& quæ habeant propria,& quæ communia,ſed etiã
qua arte reperiri poſſint,& ipſis abundare contingat,ut
enĩ medicus nõ ſolũ quid ſit medicamentũ, quot ipſius
ſpecies,& quam facultatem quodlibet obtineat,ſed etiã
quo pacto ſingulum reperire liceat,oſtendit,ita logicus
de terminis tractationem abſoluere debet. Eo autem
in loco multa quæ impræſentia obſcuritatem habere ui
dentur,& maximo omnibus ueritatis ſtudioſis & præci
pue iunioribus impedimento ſunt,declaraturi ſumus,
deinde eodẽ pacto de propoſitionibus uerba faciemus,
ut quantum fieri nobis poteſt facilem ad ueritatem per
cipiendam aditum præbeamus.Eorum igitur quæ ad
terminos ſpectãt nõnulla in ſuperiorib9 cõtinentᵉ quæ
dã uero,ut a principio diximus, cõſulto præteriuimus.
Ad aliud uero in quo ambigitur an idem ſit aliquid de
finire,diuidere,ſeu cõponere cum eo quod eſt probare
aliquid definitum,diuiſum,uel compoſitum eſſe,reſpõ
demus lõge inter ſe differre,nam qui quærit an aliquis
terminus diuiſus ſit,ſeu diuiſibilis quæſitum ſyllogiſti
cum quærit,nam quæſtio hæc eſt ne homo aptus defini
ri an non,propoſitio eſt,quæ extrema habet, inter quæ
medium reperiri poteſt,qui uero hominem definire ag
greditur ſimplicem terminum,ut ſupra etiam teſtati ſu
mus,tanquam ſubiectum habet,quo fit ut ipſum ratio
cinatione definire non poſſit,& idem de diuiſione,& cõ
poſitione intelligatur,non igitur omnia ueritatis inue-
niendæ præcepta ſub ratiocinatione compræhendũtur,

imo quædam ad alios specie diuersos pertinẽt artifices quæ optimo iure nobis omissa sunt.
Illi, uero qui medium ad hominem quærunt, aut quod omnino concludat, seu uerum seu falsum sit, definitiones, propria, & reliqua antecedentia & consequentia affirmatiua, & negatiua non ad ueritatem, sed ad hominẽ aut falsa recipere debent, sic enim aut ad hominem, aut falsum concludent, eadem enim est ratio, ut enim in iis quæ necessario ita se habent media necessaria reperienda sunt, & in iis quæ ut plurimum media quæ sæpe ita se habeant, & in uerisimilibus uerisimilia, ita in falsis falsum, & in iis quæ homini uidentur ea, quæ ad hominem concludunt, recipienda sunt.
De terminis autem, qui falso prædicantur aut subiiciũtur agere non decreuimus, propterea quod arte cõpræhendi nequeunt, & ex dictis intelligi possunt, & etiam quia ad ueritatis inuentionem non conferunt, nisi per accidens.
Iis uero qui apparenti & non re uera medio quæsitum probare uellent, ea recipienda sunt, quæ eadem uidẽtur in utraq; cohordinatione, seu omnino ea, quæ secũdum unam, eandemq; naturam utriq; extremitati annexa uidentur, re uera tamen non sunt, nos autẽ de his (siquid amplius desiderari potest) alio cõmodiori in loco acturi sumus, ut enim medici non ostendunt quo pacto uenenorum abundantiam habere possimus, sed potius remediorum copiam tradunt, uenena autem siquando casu, aut alicuius nefando scelere ingesta sunt, aut aliquo alio modo adhibita a corpore deducere, aut omnino eo

rum

rum uim irritam, debilemue reddere conantur, ita qui ueritatis inueniendæ præcepta tradunt, eorum medio-rum inuentionem, seu copiam docere non debent, quæ contrarium habitum inducere, aut ueritatis aliquo mo do acquisitam dispositionem corrumpere possint. Ne-mo igitur nos reprehēdere debet, si ea quæ cognita per se nihil prodesse, aliis uero plurimū obesse possunt, omi serimus, artem tamen, ut diximus, qua ab aliis huius-modi argumentis decipere cupientibus nos ipsos defen dere, tueriq; ualeamus, alias fortasse maius nacti ocium ueritatis studiosorum gratia aggredi non grauabimur, complectemurq; non solum ratiocinandi, sed etiam om nes alios probandi modos, qui apparenter aliquid ostē dere uidentur, nihil tamen re uera necessario colligunt. Ad ultimum uero dicendum est aliud esse alicuius ar-tis præcepta tradere ut recte actio fieri possit, aliud ue-ro ea uti, qui enim medendi, aut liberaliter agendi præ-cepta tradit, non medetur, neq; liberaliter agit nisi forte per accidēs, ita ille, qui artem docet qua commode atq; recte ueritatem inuenire possimus, non debet qua talis ipsā reperire imo ut reges & legū latores nōulla præcep ta oībus ciuibus obseruanda tradunt & certis magistra tibus mandant ut transgressores puniant, mulctentq;, ipsi uero qua tales nemini impedimento sunt, ita logi-cus præcepta omnibus ueritatis indagatoribus obser-uanda tradit, ipse tamen per se qua talis ueritatem inue nire non debet, nisi per accidēs, qua silicet uerum & fal sum reperiuntur in illismet præceptis de quibus agit, præcepta enim uera esse debent, & aliquando quo-

niam obſcura ſunt probatione egent, & eiuſdem artis præcepta ſeruare debent quam docent, ut illi qui ſeminare colligere cupiunt, iiſdem ſpecie egent ut ipſa ſeminare poſſint], & fabri ærarii mallelo utuntur ad malleolos ipſos conficiendos, præterea illi qui loquendi præcepta tradunt, non ſolum dun loquuntur, ſed etiā in ipſis præceptis tradentis orationis conficiendæ præcepta ſeruare debent, at hoc neq; per ſe neq; neceſſario omnibus artificibus ineſt, medendi enim præcepta tradit medicus abſq; eo quod medeatur, & currendi gimnaſta abſq; eo quod currat, & ædificandi ædificator abſq; eo quod ædificet. Cæterum de his alias impræſentia nobis ſufficit cognouiſſe ad logicum non pertinere ea tractare, quæ ad alios inferiores artifices ſpectant, nam ipſe nihil magis de rebus ipſis decernere debet quam debeat Imperator, aut pontifex de iis, quæ omnibus obſeruanda tradidere, dicet enim exempli gratia pontifex, ille a numero chriſtianorum ſegregandus eſt, qui ea non credit, quæ eccleſia iubet credenda eſſe, an uero Socrates aut Plato ea credat quæ eccleſia iubet, ipſe qua pontifex ignorat, ſed aliis infidelium exploratoribus totum hoc negocium committit, ita logicus ueritatis inueniendæ præcepta tradit non ſolum philoſopho naturali & mathematico, ſed etiam metaphyſico, & hoc unum agnoſcit quod ſi ratiocinationis & aliorum præcepta ſeruata fuerint, concluſio recte habebit, an uero ſeruata ſint ipſe qua talis ignorat.

AD LECTOREM.



AEC habui candide lector quæ de inuentione medii, ut mea tulit fortuna, excogitare potui, quæ si aliquo pacto a ueritatis studiosis in bonam partem accepta esse sensero, ad alia si non maiora, saltem diligentiori modo declaranda me totis iuribus conferã. Quo uero ad maleuolos, reprẽsoresq; attinet ita affectus sum, ut eos nullo pacto uerear, nam illæ, quæ cum aliqua ratione fiant repræhensiones, si nõ delectare, saltem iuuare, &ab ignorantia uindicare poterunt, eas uero quæ absq; ratione fient, cum nihil fere nocere possint, paruifacio, nam falsæ calumniæ potius calumnianti, quam ei, in quem temere effunduntur, nocere possunt.

FINIS.

